Q. F. F. S.

DISSERTATIO POLITICA

DE

PRÆROGATIVA,

QVAM

Annuente DEO,

PRÆSIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO

DN. JOH. CHRISTOPHORO BECMANO,

D. & HISTOR. PROF. CELEBERRIMO

FAUTORE AC PRÆCEPTORE SUO DEBITA OBSERVANTIA COLENDO,

IN ACROATERIO PHILOS. MAJORI

A. D. 28. Maj. Anno M. DC. LXXVII.

Publicæ diſqviſitioni ſubmittit

JOHANNES MAURITIUS BLASPEIL, Clivenſis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Editio Qvarta Prioribus Correctior.

Francofurti ad Viadrum

Apud NICOLAUM HENR. ERNEST. SCIPIONEM.

ANNO MDC LXXXIIII.

Diſputatio IV.

DISSERTATIO
DE
PRÆROGATIVA
CAP. I.
DE
PRÆROGATIVÆ NATURA ET IN SPECIE DE PRÆROGATIVA ÆTATIS.

I. PRærogativæ Nomen, Uſus apud Romanos, Græcorum προεδρεία.

II. Prærogativæ Definitio, & Diſcrimen a Dignitate.

III. Prærogativa eſt actus vitæ Socialis, ac proinde in altera vita locum non habebit, nec eſt inter angelos, nec inter Miniſtros Sacros.

IV. Prærogativæ cauſa Judicium Reipubl. Prærogativæ Electorum Legalis Definitio, Leges de eadem in V. Rom. Imp. Praxis proximorum Seculorum.

V. Cur Regum contentiones de Prærog indeciſæ maneant? Cur Principum imperii?

VI. Fundamentum Prærogativæ.

VII. Prærogativæ Ætatis Demonſtratio: In ſpecie, Cur Senectus honoranda?

IIX. Elogia Antiqvitatis.

IX. Senes olim Parentum loco fuiſſe habitos, Juniores iis aſſurrexiſſe, Eos deduxiſſe.

X Prærogativam iis conceſſam in Conviis, Accubitus Chriſti in ultima Cæna, Cur Johannes accubuerit Domino? Error Pictorum hujus Cænæ: Senum Prærogativa in eundo & Sedendo.

XI. Prærogativa Ætatis in Primogenitura.

XII. Prærogativa Antiqvitatis in Nobilibus Familiis.

XIII. Prærogativa Nationum: Germani ſoli adhuc Indigenæ, eoqve omnium Populorum Nobiliſſimi.

XIV. Magiſtratui gerendo ſeniores præcipue admotos.

XV. Primatus Seniorem in Suffragiis ferendis.

XVI. Antiqvi mores: Antiqviſſimum qvodq; veriſſimum. Cauſa varietatis Alamodicæ.

XVII. Antiqvi mores Eccleſiaſtici, Antiqva Fides.

I.

PRÆROGATIVA congrua Themati noſtro, eiqve adæqvata vox eſt, â Romanis eodem ſenſu uſurpata, pro Eminentia nempe ſive Excellentia, & Antelatione. *Magnifaciunt Provinciales ſervari ſibi conſvetudinem iſtam & hujusmodi* Prærogativas, inqvit Ulpianus *l. obſerva. 1. 4. ff de officio Proconſ.* ubi Proconſulem jubet per eam partem Provinciam ingredi, per qvam ingredi moris eſt, *& obſervare, in qvam primum civitatem veniat, vel applicet. L. veteran. 1. ff de veteranis. Veteranorum Privilegium inter cætera etiam in delictis habet Prærogativam.* Eodem ſenſu adjectivè *Prærogativa Tribus* dicebatur, qvæ prima ferebat ſuffragia: Et *Prærogativa Centuria.* Cic. pro Plancio 39. *Cujus in honore non unius Tribus pars, ſed comitia tota Comitiis fuerunt prærogativa. V. For. Roman.* ad hanc vocem. *Martin. Lex,* ad eandem. *Præcedentia* noſtro tempore ferè vocari ſolet, nomine ſpeciali effectus pro cauſa aſſumpto; Qvin. Prærogativa præ aliis gaudet, præ iisdem & priorem in eundo locum habet. Sicqve & Gallorum *Preſeance*, qvam Præſidentiam dixeris, capienda: Item Græcorum προεδρεία à προέδρα prima ſedes. Πρόεδρος eſt *Præſes* ac πρόεδροι generalius *Magiſtratus*, q. Præſidentes aliis: ſenſu convenientiſſimo: Eosdem n. τοὺς ἐπ' ἐξουσίας, viros poteſtate præditos, & τὰ τέλη aut τοὺς ἐν τέλει, viros perfectos dixere. *V. Bud. Comm. Gr. L.* tanqvam Prærogativa non eſſet, niſi qvæ perfectione ac Poteſtate conſtaret. Ita namqve naturam ac reqviſita PRÆROGATIVÆ in ſynonymis hiſce exqviſitiſſimi ſubjecti ſui ſvaviter copularunt.

II.

PRÆROGATIVA *eſt Facultas prævalendi aliis. Facultas* h. Qvalitas moralis, cujus explicatio reqvirenda apud *Grot. J. B. L. I. c. I. §. IV. prævalendi aliis*, h. ut ante alios ſimus, & illi nobis poſtponantur. Eoqve non niſi modus Dignitatis eſſe cenſenda eſt; Ideo n. prævalemus aliis, qvia iisdem Digniores ſumus; Nec Dignitas eſt, qvin veluti involvit Eminentiam ſuper alios, ita iisdem prævaleat;

Aliis n. qvi eminet, eo ipſo iis qvoq; præfertur: Sic in univerſo rerum ambitu Spiritus præfertur corpori, qvia corpori prævalet eodemqve eſt dignior; Animata præſtant inanimatis, Cœlum terrâ, æterna Caducis eandem ob cauſam. DEUS Entium ſummum, maximum, optimum, adeoqve digniſſimum, anteferendus rebus omnibus & ſuper omnia amandus, qvippe qvem nunqvam ſatis colere aut amare poſſumus, qvia infinitus eſt & â nulla creatura capi poteſt. *Vid. Præſid. Med. Pol. Diſſ. III. §. IIX.*

III.

Inter homines, qvippe de qvorum *PRÆROGATIVA* potisſimum dicere inſtituimus, actus vitæ ſocialis; Verſatur n. in functionibus circa ratiocinia neceſſitatum ac commodorũ humanorum comparandis, qvæ ſi nullæ eſſent, nec PRÆROGATIVÆ locus foret, æqve ac in membris corporis noſtri PRÆROGATIVA eſt, qvia diverſis functionibus connectuntur, ſine qva ſi ſingula agerent, omnium æqva ſors, nulla PRÆROGATIVA foret. In ſingulari ſeu extra ſociali ſtatu hominum locum non habet: Naſcendi jure n. omnes æqvales ſunt, æqvalia qvoqve jura omnium. Nec in altera vita locum habebit, ſed omnes æqvales erimus, nullis gradibus perfectionis aut Beatitudinis diſtincti. I. Qvia homines in perfectiſſimum ſtatum, cujus natura humana capax eſt, elevabuntur; Perfectiſſimi autem nec gradus ulli, nec Prærogativa aliqva. Ideo II Servator agens de præmio Juſtorum: *Fulgebunt,* inqvit, *Juſti ſicut Sol in conſpectu Dei.* At nulla eſt major lux eâ, qvâ Sol præditus eſt; Et nemo niſi juſtus fuerit, Regnum Cœlorum ingredietur: Habebunt itaqve omnes ſplendorem Solis, h æqve ſummam gloriam. Videantur inter Theologos ſuperioris Seculi *P. Martyr. Comm. in I. Cor. XV. Wolffg. Muſculus in eand.* Et poſt hoſce B. Parens Præſidis, *Chriſtianus Becmanus,* ſingulari Diſſertatione *de gradibus Felicitatis Vitæ æternæ,* ſed nondum edita. Nec Angelis certo attribui poteſt I. Qvia graduum iſtud diſcrimen nec Lumine naturali, nec ex Scriptura poteſt ſciri. II. Nec gradus, qvos *Coloſſ. I. 16. Eph. I. 21.* videntur ſuppeditare, ſunt niſi nomina totidem officiorum ſecundum modulum noſtrum conceptorum. III. Præter Novem illa Hierarchiarum Angelicarum ita dictarum nomina, occurrunt adhuc alia, ut *Filii Dei* Job. I. & II. *Stellæ Matutinæ* Job. XXXI. 7. *Vigiles Dan. IV. 15. Exercitus Cœli Luc. II. 13. Viri Geneſ. XXIIX.*

Spiritus Hebr. I. 7. *Fortes* Pſ. LXXIIX. 25. Plures ergo gradus forent, qvos ne ipſi qvidem Hierachiæ Angelicæ aſſertores credunt. Vid. plur. incomparabilis *Voet. Vol. I. Diſput. de Angelis §. II.* Eadem cauſa, cur Servator à Sacro Ordine gradus abeſſe voluerit. *Reges gentium dominantur eis, & qvi autoritatem habent in eas, benefici vocantur. Vos autem non ita eſtote, ſed qvi maximus eſt inter vos, eſto ſicut qvi minimus eſt: Et qvi ductor eſt, ſicut qvi miniſtrat. Luc. c. XXII. v. 25. & 26.* Omnes itaqve Chriſtum æqve annunciare jubentur, adeoqve omnium eadem functio eſt, non aliter diſcernenda, qvam qvatenus Religio reſpectum vinculi ſocialis induit, & melioris ordinis cauſa, non natura rerum id exigente: Qvod plur. demonſtratum ab Præſid. *Notit. Dign. Illuſt. Diſſ. XII. cap. I. §. VII. & ſeqq. p. 321. edit. Jen.*

IV.

Jamqve ſi PRÆROGATIVA pars vitæ ſocialis & modus Dignitatis eſt, ex iisdem cauſis ſurget, qvibus Dignitas. Efficit itaqve eam Judicium Reipublicæ ſ. Majeſtatis: *Majeſtate jubente dignitates ſuſtinentur L. 5. C de Dignitat.* E. & Prærogativa, ac proinde præferendus eſt, qvẽ Reſpubl. præferri judicat, & cives alii aliis eminent qvia publicum id ipſis deberi agnoſcit: In aliis id non agnoſcit, ideo abjecti manet. *Med. Pol. Diſſ. XVI.* §. 2. Qvare hanc & Legalem Definitionẽ Præcedentiæ Autores vocant. Ita legaliter definita eſt Præcedentia Electorum ante Principes; Et ipſorum Electorum inter ſe per A B. Eorundem præſentium Prærogativa ante abſentium Legatos ſuperioribus Comitiis. *Böcler. Not. S. R. I. L. V. c. II.* In veteri Romano Imperio ita obſervandum in Albo ſcribendo & ſententiis dicendis ordinem ab Ulpiano præſcriptum legimus Titulo *ff. de Albo ſcribendo.* Qvam & inter antiqviſſimas Leges de PRÆROGATIVA latas Seldenus reponit *Titl. of. Hon. P. II. c. XI. §. II.* Neqve alia fere dabitur in Digeſtis, qvæ diſerte in PRÆROGATIVA verſatur. At poſt Conſtantini M. tempora impenſius de ea curari cæptum eſt, cujusmodi ſpecimina elucent L. VI. *Cod. Theodos item Libr.* IIX. Tit. XII. & L. VII. Tit. 3. *Et Novell. Theodos 45. de Honoratis & qvis in gradu præferatur.* Tum in C. Juſtinianeo *L. un. de Eqveſtr. Dign.* ut Æqvites Romani *ſecundum gragum poſt Clariſſimatus Dignitatem obtineant. Et l. 2. ut Dignitatum ordo ſervetur.* & ſ. qvorum ſeriem V. *ap. Selden. c. I. p. 742. 743.* Decretum Regium de ordine Procerum Anglicorum

corum ſubHenrico IIX. *ap. eundem p. 744. & ſeqq.* Simili Ratione ſuperiori Seculo leguntur Sereniſſimi Electores Carolum V. Imp. ſingularibus literis rogaſſe, ut diſſidentibus de Prærogativa Principibus Imperii ordinem præſcribere vellet: *De reliqvorum vero principum Ordine acturi, habita deliberatione, diligenter perpendimus, inter præcipuos imperii Principes, utpote inter Bavarum & Saxonem, Brandenburgicum & Brunſvigium, Heſſum & Pomeranum, de Seſſione, Proceſſione & ſtatione, multos nunc annos varie diſceptatum eſſe, nec in hoc usqve tempus, licet ſæpe tentata ſit, reconciliationem ullam fieri potuiſſe. Ac contentiones iſtæ adeo exarſiſſe videntur, ut licet omnes illi principes præſentes eſſent, ac inter eos ageretur, omnis tamen actio noſtra infrugifera & irrita eſſet futura. Cum igitur facile colligi poſſit, ruri inter ipſos contentiones orituras eſſe, cujusmodi tumultus, ut commode avertatur, ſumma neceſſitas flagitare videtur: Sed huic rei conconſiliis idoneis, præter Cæſaream Majeſtatem veſtram nemo plus prodeſſe poſſet, cui procul dubio Principes illi obſecuturi eſſent. Subjectiſſime igitur rogamus Cæſaream Majeſtatem Veſtram, ut totius negotii promovendi gratia, hanc rem clementiſſime conderet & idoneis & convenientibus rationibus (qvod tamen Cæſ. Majeſt. V. judicium liberum permittimus) cum prænominatis Principibus agat, ut in honorem veſtræ Cæſareæ Majeſtatis egredientes & ingredientes eum ſervent in eqvitando ordinem, qvi à Majeſtate* V. *Præſcriptus fuerit, hac tamen interpoſita cautione &c.* Et Ferdinandus I. in lite inter Florentinum & Ferraſienſem Ducem judicio adhuc uſus eſt, ac Florentino Prærogativam attribuit. Legitur qvidem & Pius IV. P. M. in Conſiſtorio A. MDLXIV. declaraſſe, *ſe in cauſa Præcedentiæ inter Regem Galliæ & Hiſpaniæ nullam qvidem ſententiam tuliſſe, paratum tamen eſſe, ſi partes petierint, juſtitiam miniſtrare, & cauſam comittere vel Collegio Cardinalium, vel Auditorio Rotæ.* Sed res infecta manſit, neq; eam etiam aliter qvam Arbitri, non Judicis titulo facturus fuiſſet, ac proinde in huc non pertinet.

V.

Enimvero ex hac ipſa ratione illæ inter Reges alioſve ſupremos Principes controverſiæ interminabiles ferè viſæ ſunt, qvia humana remedia componendis iis non dantur, cum ſuperiorem poteſtatem nullam agnoſcant, eoqve nec judicio aliqvo cogi poſſint; Neq; etiam

etiam in alterutram partem ſeu decidentis, ſeu Advocati titulo propendere re privatis convenit, niſi qvousqve autoritate Domini ſui ducuntur, cum horum gloriæ pars magna ſit, Judicium de rebus Principum ſuorum ſuſpendere. Ac licet mediantis communis Amici remedium aliqvando acceperint, id tamen non aliter factum, qvam cum proteſtatione ſalvi utriusq; in futurum Juris ſui, vel tranſactio circumſtantiis præſentis temporis tantum fuit alligata, unde nullum Jus ſeqvitur. Qvamvis etiam alicubi in Deciſionem compromiſerunt, Pars ſuccumbens tamen data nova occaſione ſtatim litem de novo excitavit, non habita ratione deciſi. Sicqve & Sereniſſimi Electores cum literis ante citatis Imp. Caroli V. declarationem petiiſſent, addidere tamen, id faciendum *hac interpoſita cautione, ne qva fraus cujusq; Privilegiis ac libertati fiat, & hac clementiſſima Pollicitatione addita, Majeſtatem ſuam ſtatim poſt ingreſſum ſummam operam daturam, ut diſſidentes Principes inter ſe concilientur.* Et cum ibidem indicaſſent, qva ratione inter ipſos de ordine in ingreſſu Imperatoris ſervando convenerit, *hac tamen conditione*. addunt, *neqvid ulli noſtrorum in hoc vel ſimili caſu per hanc tranſactionem detrahatur & derogetur*: ap. Gold. cit. l. Et Imperator Fridericus jam olim in controverſia inter Electorem Colonienſem & Abbatem Fuldenſen cum reſpondiſſet primo, æqvo ſibi diſcrimine eſſe, Major an Minor latus ſuum clauderet, idqve magnis turbis campum aperiret, poſtea Abbatem cedere qvidem juſſit, ſine tamen juris ſui præjudicio. *Kranz. Saxon. L. VI. c. XLVI.* Eadem ratio eſt, cur inter Sereniſſimos Principes Imperii hæ controverſiæ perdurent, qvia extra Imperium apud cæteros Principes non eſt, qvi definire poſſit, Fruſtra etiam allegatur Jus Civile Antiqvum aut Jus Canonicum: Decretis Comitialibus vero, aut Imperatoriis Edictis terminari qvidem posſunt; ob graves cauſas tamen & ex parte occultas in ſuſpenſo manent. *V. Böcler. Not. S. R. I. L. V. c. 11.* An Imp. diſcorpantes cogere posſit, & qvousqve, inprimis ſi Jura utriusq; ſint obſcura & neuter probet, vel uterq; æqve, & neuter ſit in poſſeſſione, tractat *Hermes Faſc. c. XXIII. n. 24.*

VI.

Judicio huic autem neceſſario annectenda interna rei Bonitas, tanqvam inſeparabile fundamentum aliqvod; qvo nitatur, qvi aliis præſtare debet. Reipubl. hic enim eadem ratio, ac illa eſt, qvam habet

dum

dum Leges fert: Nam licet Leges apud Subditos ideo ſimpliciter valere oporteat qvia Reſp. aut Princeps eas juſſit, nunqvam tamen præſumendum eſt, Principem Leges condere, qvin rationem juſtam habeat, ob qvam condat; Qvemadmodum & hoc ſenſu Ratio anima Legis dicitur, non qvod Subditum eam ſpectare oporteat, cui Imperium Principis ſufficit, ſed qvod ipſum Principem moverit, ut Legem conderet. Ac proinde licet illi, qvi Dignitate ac Prærogativa gaudet, in vita ſociali ſufficiat, ſi talis eſſe publice agnoſcatur, nunqvam tamen ſine virtute aut interna Bonitate eſſe poterit, cujus cauſa Publicum, ut ipſum præferret aliis, motum fuiſſe dici poſſit.

VII.

Virtutis vero ac Bonitatis hujus tot cauſæ eſſe poſſunt, qvod rerum genera ſunt, è qvibus Bonitas commendari valet. Ac in hoc genere præcipue ſpectanda. I. qvæ ab ipſa exiſtentia rerum deſumuntur, ut ille præferatur, qvi diutius adeoqve ante alterum extiterit, qvæ eſt *Ætatis obſervantia, ac Prærogativa*, & qvidem tum *Naturalis Ætatis*, qvæ eſt longior duratio inter homines ſimul viventes, & *Senectutis* nomine potiſſimum venit, tum, qvam itaqve dicemus, Moralis, qvæ longior duratio inter Familias, aut alias Societates & Corpora Moralia eſt, & *Antiqvitatis* in Specie nomen habet. Utriusqve rationem opinamur nos hanc reddere poſſe, qvod ſit veluti Sortis naturalis qvoddam genus, qvo natura antiqviori magis benefica, qvam cæteris videri voluerit. Et in ſpecie pro Senectute allegant I. Neminem eſſe, qvin ad Senectutem venire contendat; Perducimur enim ad maturitatem, qvæ in Senibus demum reperitur, matureſcente poſt deferveſcentem Juvenilem impetum judicio: Unde & II. Senectus majori virtute præſumitur inſtructa eſſe. *In Antiqvis eſt Sapientia, & in multo tempore prudentia.* Job. XII. v. 12. Operationes animi enim liberius exercent. Et III. Eadem majori rerum uſu eoqve prudentia pollet. *Temeritas eſt florentis ætatis, Prudentia Senectutis.* Cicero. Nam Selectum majorem hæc adhibet, & dijudicat omnia melius. Vid. plur. *Loryot. Secret. Mor. L. II. Q. XXXVI. Toſſan. de Senect. L. III. c. II.*

IIX.

Et ſanè fons iſte Dignitatis antiqviſſimus eſt, eoqve à veteribus etiam tot elogiis paſſim ornatus legitur. *Apud omnes homines conſvetudo eſt, ut Senior habeat prærogativam* tam in dicendo, qvam

ſaciendo; Xenophon lib. I. de dict. & fact. Socr. πρεσβύτερον σέβου, *Natu majorem* cole, erat Chilonis unius è ſeptem Sapientibus dictum, & πρεσβύτερον αἰσχύνου, *Seniorem venerare*, Periander Corinthi Rex itidem unus è Sapientibus dixit. Antilochus victus ab Ajace grandioris ætatis viro, *noſti*, inqvit, *Amice*, *qvod etiam immortales Dii majores natu venerantur* apud Homerum lib. 23. Iliad. Qvæ ſimiliave congeſſit Inſignis vir Goldaſtus in *Seniore ſeu Tractatu de Majoratu* L. I. c. 3. Sicqve apud *Antiqviſſimos Romanorum neqve generi*, *neqve pecuniæ præſtantior honor tribui, qvam ætati ſolitus: Majoresqve natu à minoribus colebantur ad Deûm prope & Parentum vicem. atqve in omni loco, inqve omni ſpecie honoris priores potioresqve habiti.* A Gell. Noct. Attic. lib. II. c. XV. Et in ſpecie in Collegio Augurum, *ut qvisqve ætate antecellebat*, *ita ſententiæ principatum tenebat, neqve ſolum bonore antecedentibus, ſed iis etiam, qvi cum Imperio erant, majores natu Augures anteponebantur.* Cic. Or. pro L. Muræna. De Lacedæmoniis Juſtinus lib. III. Hiſtor. *Lycurgus maximum honorem non divitum & potentum, ſed pro gradu ætatis ſolum eſſe voluit. Cujus Legis tam rigidi fuerunt obſervatores, ut apud nullam gentem ætatis major qvam apud Lacedemonios fuerit habita ratio.* Et Cic. lib. de Senect. *Nusqvam tantum tribuitur ætati, nusqvam eſt Senectus honoratior.* Unde & ſoli meruerunt dici non tantum ſcire honeſtum, ſed & eodem uti. Sic ſenex Olympiæ commiſſum certamen ſpectare cupiens, ſedem non inveniebat, cumqve multa obiret loca, à nemine admiſſus, contumeliis inſuper dicteriisqve exagitabatur: cum autem ad Lacedæmonios veniſſet, omnes ei pueri aſſurrexerunt, multiqve viri loco ceſſerunt. Qvem morem univerſis Græcis plauſu approbantibus, ſummisqve laudibus vehentibus, Senex iſte: Pro, inqvit! *Norunt omnes Græci qvid ſit honeſtum, ſed eo ſoli utuntur Spartani* ap. Plutarch. *Apophth. Lacon.* Et alius, cum veniſſet Spartam ac cerneret, qvem honorem Senibus Juniores haberent, *Hac Sola*, dixit, *in urbe expedit fieri ſenem. Id. ib.* Neqve abeſt hinc Germanorum noſtrorum Proverbium: Die Jungen ſoll man lehren/die Alten ehren. Et ipſe Apoſtolus Seniores qvi in Eccleſia pene præſunt, ſummo honore dignos pronunciat, nec increpari, ſed ut Patres benigna hortatione moneri, & mulieres natu grandiores, tanqvam matres haberi jubet. Confer. *Toſſan. de Senect. l. III. cap. II.*

IX.

Neqve Elogiis hiſce tantum mactari voluerunt, ſed modum honorandi qvoqve variis partibus expreſſere, adeoqve effectu Prærogativæ frui voluere. Honorem fundat (1.) ut agnoſcamus potentiam; (2.) Nec velimus diſplicere. Qvæ Cicero in Specialem externorum ſeriem diſpoſuit in *Catone Majore. Hæc enim ipſa ſunt honorabilia, qvæ videntur Levia ac communia, ſalutari, appeti, decedi, aſſurgi, deduci, reduci, conſuli; Qvæ & apud nos & in aliis civitatibus, ut qvæqve optime morata, ita diligentiſſime obſervantur.* Qvorum ſingula in Honore adeoqve PRÆROGATIVA Seniorum obſervata. Sic enim I. Parentum loco haberi voluerunt: *Seniorem ne increpaveris, ſed obſerva ut Patrem, vetulam ut Matrem,* edictum Divinum eſt modo citatum I. Tim. 5. *Majores natu à Minoribus colebantur ad Deûm prope & Parentum vicem* itidem ex A. Gell jam ante citatum. II. Aſſurrexerunt Senioribus. Sic de Spartanis & Ægyptiis Plutarchus & Herodotus infra §. *X. n. 2. Senioribus honor aſſurgendo & Seſſionem colendo reddendus eſt.* Ariſt. IX. Eth. c. II. Et de Romanorum more Juvenalis *Satyr. XIII. Credebant hoc grande nefas & morte piandum, ſi juvenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi Barbato Cuicunqve puer, licet ipſe videret plura Domi farra & majores glandis acervos.* Gold. c. XIII. III. Eos deduxerunt A. Gell. L. II. Noct. Att. c. XV. *A convivio qvoqve, ut ſcriptum eſt in Antiqvitatibus, ſeniores à minoribus Domum reducebantur, eumqve morem accepiſſe Romanos à Lacædemoniis traditum eſt;* Et Val. Max. Lib. II. cap. I. *Qvocirca juvenes, ſenatus die, utiqve aliqvem ex Patribus Conſcriptis, aut propinqvum, aut Paternum Amicum, ad curiam deducebant, affixiqve valvis expectabant, donec reducendi & officio fungerentur.* Goldaſt. Sen. L. I. cap. XIV.

X.

In ſpecie PRÆROGATIVAM iisdem conceſſere (I.) Privatim in conviviis: *Invitati ad Cœnam diligenter qværebant, qvinam ei Convivio eſſent interfuturi, ne ſenioris adventum diſcubitu præcurrerent, ſublataqve menſa priores ſurgere & abire patiebantur.* Val. Max. L. II. c. I. Et in Hiſtoria Sacra de convivio Joſephi Patriarchæ fratribus exhibito legitur Gen. XLIII. 33. *Primogenitus juxta primogenituram ſuam, & minimus juxta ætatem ſuam ſediſſe: Qvod*

eſt, ut Sebaſt. Caſtalio interpretatur, *ut qvisqve ætate antecellebat, ita primo loco collocatus eſt*, & Joſephus L. II. Antiq. Judaic. cap. 5. *Acceptos convivio juſſit ordine, qvo apud Patrem ſolebant, diſcumbere; Cumqve omnes comiter haberet, duplicibus partibus Benjaminem honorabat.* E qvo & rationem pendere autumant, cur in Hiſtoria Sacræ Cœnæ S. Johannes Evangeliſta, qvi per ætatem ultimus erat, Chriſto accubuerit, & B. Petrus annuiſſe Johanni dicatur, ut Chriſtum de proditore interrogaret? Chriſtus enim Sacram Cœnam in Stibadio ſtrato celebravit, ἐπὶ ςιβάδος, ut loqvitur Chryſoſtomus *Homilia XXVII. in I ad Corinth.* ſive in lectulo, ut Tertullianus de Corona. *Agnoſcam*, inqvit, *neceſſe eſt & recumbentem in lectulo Chriſtum.* Recubuit autem in ea Chriſtus, non in medio ſtipantibus latera hinc inde Apoſtolis, ut noſtri vulgo Pictores repræſentant, ſed dextro in cornu, in ſiniſto cornu v. Petrus tanqvam ſenior, indeqve cæteri Apoſtoli pro ætatis ratione usqve ad Johannem, qvi omnibus junior, eoqve Chriſto proximus erat, ac proinde commodiſſime ipſum interrogare poterat, qvod Petro qvippe remotiſſimo haut perinde facile erat. Et hoc qvidem accubuiſſe modo tum alia in libris tabulisqve antiqvis monimenta oſtendunt, tum Muſivum Capuæ opus a Deſiderio Caſinenſi Abbate, qvi Victor II. poſtea fuit, dedicatum. Sicqve & Majoriani Auguſti convivium inſtructum narrat *Apollinaris Sidonius Epiſt. L. I. Epiſt. XI.* Accubuiſſe nimirum ita, ut ultimus primo proximus fuerit, à primo autem remotiſſimus ex adverſo ſecundus. *Primus jacebat cornu ſiniſtro Conſul ordinarius Severinus, Vir inter ingentes Principum motus, atqve inæqvalem Reip. ſtatum gratia ſemper æqvalis. Juxta eum Magnus tum ex præfecto, nuper ex Conſule, par honoribus Perſona geminatis: recumbente poſt ſe Camillo filio fratris, qvi duabus dignitatibus & ipſe decurſis, pariter ornaverat Proconſulatum Patris, Patrui conſulatum. Pæonius hinc propter: atqve hinc Athenius, homo litium, temporumqve varietatibus exercitatus. Hunc ſeqvebatur Gratianenſis omni ab infamia vix ſeqveſtrandus, qvi Severinum ſicut Longe poſt ibat, ita favore præceſſerat: Ultimus ego jacebam qvà Purpurati lævum latus in dextro margine porrigebatur.* Confer *Sirmond. not. in h. l.* (II.) Publicè cedendo: *Cede Majori*, fuit Catonis dictum, τῶ ὁδῶ παραχώρησον, Interprete *Maximo Planude*, cui non diſſimile vulgatum iſtud: *Barbati præcedunt*, & Germanorum

cui

das Alter gehet vor. *Inſtitutus fui & ipſe, & à mea & veſtra Patria, ſenioribus, non ſolum fratibus, verum & omnibus & via & ſedili & ſermone cedere*, inqvit *Cyrus apud Xenoph.* Cyrop. L. IIX. De Spartanis iterum Plutarchus. Inſt. Lacon. *Condocefaciebant pueros, ut non ſuos modo Parentes revererentur, iisqve obedirent, ſed etiam omnes alios ſenes iisqve & de via decederent, & de ſedibus aſſurgerent, & præſentibus qvieſcerent.* Et de Ægyptiis Herod. L. II. c.LXXX. *Congruunt præterea in hoc cum ſolis Græcorum Lacedæmonibus Ægyptii, qvod minores majoribus natu obvii cedunt via, ac deflectuntur advenientibusqve è ſedili aſſurgunt.* Et in rebus Romanis exemplum eſt apud Tacitum L. III. Annal. '*Domitius Corbulo Prætura functus, de L. Sulla Nobili Juvene qveſtus eſt apud Senatum, qvod ſibi inter ſpectacula gladiatorum loco non deceſſiſſet. Pro Corbulone ætas, Patrius mos, ſtudia Seniorum erant. Contra Mamercus Scaurus, & Lucius Arruntius, aliiqve Sullæ propinqvi nitebantur. Certabant Orationibus, & memorabantur exempla majorum, qvi juventutis irreverentiam gravibus decretis notaviſſent. Donec Druſus apta temperandis animis diſſeruit, & ſatisfactum Corbuloni per Mamercum, qvi Patruus ſimul ac vitricus Sullæ Oratorum ea ætate uberrimus erat.* Gold Sen. L. I. c. XII. Qvam rem & Brutis à natura implantatam exemplo Elephantum ex Plinio docent Hiſt. Nat. L. IIX. c. VII. *Elephanti gradatim ſemper ingrediuntur: Ducit agmen natu maximus, cogit agmen ætate proximus*; Et non diſſimilia ſunt, qvæ Ælianus habet *Hiſt. An. L. VII. c. XV.* Juniores ſane labores, & pericula primi ſuſcipiunt: & antecedentibus ætate de cibo ac potione concedunt, propter obſervantiam, per qvam cultu qvodam & honore natu majores dignandos exiſtimant, *idqve natura, nullis ad hoc Lycurgi Legibus obſtricti.* In qvæ tamen ſi excurrendum eſſet, diceremus ea fieri ad eum modum, qvo natura alios qvoqve actus humanos Bruta docuiſſe videtur, h. nullo ſenſu rei geſtæ, adeoqve hic nullo ſenſu honoris, ſed tantummodo Boni privati reſpectu; Bruta enim carent ratione, ac proinde rem non aliter, qvam reſpectu Boni privati ſui cognoſcunt, nullam in natura ſua. Ideo Apollonius etiam, cum Damis aſſerendum cenſeret, ſapientiam mentemqve Elephantis ineſſe; Et vere diximus, inqvit, *Niſi enim mens qvædam hoc animal gubernaret, neq; ipſum produceretur, neq; gentes extarent, apud qvos bellum naſcitur ap. Philoſtr. L. II. c IIX.* Mens h. e. naturæ impul-

ſus ad bonum privatum, non internus animi motus, aut Ratio. III. Seniores etiam præſederunt. *Senioribus honor aſſurgendo & ſeſſionem cedendo reddendus eſt.* Ariſt. IX. Eth. ad Nic. c. II. *Veni & ſede in medio noſtrum & indica nobis, qvia Tibi Deus hodie dedit honorem Senectutis*, ajunt Seniores populi ad Danielem in Hiſtor. Suſannæ, i. ut habet Theodotionis translatio, πρεσβυτήριον. Qvæ pleniori luce nulla egant.

XI.

Conſpicitur vero inprimis *Prærogativa Ætatis* in Jure celebri illo & plerisqve Gentibus recepto *Jure Primogenituræ*: Ut primogenitorum, præcipue in ſucceſſione Perſonarum Illuſtrium, potiſſima habeatur ratio, cauſa eadem id evincente, qvam generaliter pro Ætatis Prærogativa reddidimus; Ut qvia Primogenitura eſt ſortis naturalis qvoddam genus, humanaqve induſtria conſervationem ſplendoris familiarum ſine litibus aliis dirimere non poteſt, hi qvibus naſcendi beneficium citius obtigit, etiam ſuccedendi jure ideo primo fruantur. Qvare & jus hoc ordinem naſcendi & naturam ipſam gentibus dediſſe ſentit *Juſtinus L. XI. Artabazanes maximus natu ætatis privilegio Regnum ſibi vindicabat: Qvod & ordo naſcendi & natura ipſa gentibus dedit.* Et Herodotus Νόμον Legem ſive conſvetudinem Regnorum hoc vocat: *Mos omnium populorum eſt, ut natu maximus imperium habeat.* L. VII. Plura exempla Vid. apud Grot. *J. B. & P. L. II. c. VII. §. XIII. & in Not. ad h. l. Petrum Gregorii*, qvem à Patria Tholoſanum vocant *L. VII. c. V. de Rep.* Et ex eo *Richter. Ax. Polit. XCIV.* De Regno Galliæ *Limn. Not. Regn. Franc. L. II. c. III.* Et Regem Galliæ ne habere qvidem poteſtatem eligendi Regem, dum ipſe in vivis eſt, nec Teſtamento conferendi regnum Secundogenito vel Tertio, *in præjudicium Primogeniti:* Nec opinionem Ingenii Præſtantioris aut Spiritus magis Regii qvicqvam ad propoſitum facere *ex Scipione du Pleix Invent. des Err. de* I. de S. idem annotat. De Regno Angliæ v. Autorem *Status Angl. P. I. c. VII.* De familiis Sereniſſ. Principum Germaniæ, qvi Primogenituram receperint Spreng. *Lucern. Imp. cap. III.* p. 207. 208. de Jure Hebræorum hac in re *Selden. de Succeſſ. in Bon. Def. cap. VI. & ſeqq.* de Jure Anglorum, Gallorum, Hiſpanorum, Aragonenſium aliarumqve nationum hac in re *Tiraqvell. Tract. de J. Primogeniorum Præf. n. 3. & ſeqq.* & ipſo tractatu paſſim.

XII. An-

XII.

Antiqvitatem Nobilibus Familiis venerationem eoqve PRÆROGATIVAM addere demonſtratum Medit. Pol. Diſſ.IX. §. VI. *Venerationem certe habet videre caſtellum aut ædificium antiqvum, qvod nulla ruina invaſit, aut etiam annoſam proceram arborem ſolidam & integram; Qvanto plus igitur erit intueri antiqvam Nobilem proſapiam, à fluctibus & procellis temporis illæſam?* Et certe *ſi Nobilitas nova potentiæ publicæ opus eſt, antiqva potentiæ bujus & temporis ſimul filia erit.* Verul. Serm. Fid. n.XIV. *Adhæc ſi Nobilitas ideo perpetua eſt, ut operæ publico navatæ memoria in poſteris conſervetur, jam illam operam, qvæ ante aliqvot ſecula poſita fuit, tanto illuſtriorem fuiſſe præſumptio eſt, utpote per qvam ea Reip. firmitas adjecta fuit, ut in præſens usqve durare potuerit; Aut ſi tanti eſt Viri de Rep. bene meriti effigiem venerari, qvidni eundem in poſteris, tanqvam ejus viva imagine etiam veneremur?* Major itaqve veterum Nobilium Splendor; Ac ſi res cum minus adultis eadem, recens creati Nobiles tamen principium gerunt à poſteris demum augendum, qvemadmodum unitas non eſt numerus, ſed numeri initium: Adeoqve in his Nobilitas incipit, in filiis pubeſcit, in Nepotibus adoleſcit, in pronepotibus tandem & poſteris maturam ætatem adipiſcitur.

XIII.

Similitudo materiæ nos monet, ut de contentione PRÆROGATIVÆ inter veteres Nationes agamus, qvam Antiqvitatis demonſtratione commodiſſime roboratum iri opinatæ fuerint. Athenienſes ita ſoli *præterqvam incremento, etiam origine gloriati ſunt. Qvippe non advenæ, neqve paſſim collecta Populi colluvies originem urbi dedit, ſed in eodem nati ſolo, qvod incolunt, & qvæ illis ſedes, eadem origo eſt.* Juſt. L. II. Ideoqve recuſabant Syracuſanorum Imperium, *qvia Antiqviſſimæ originis eſſent, ſoliqve Græcorum nunqvam ſolum verterint. Apud Herod. L VII. C. LXXI.* Scytharum gens qvoqve antiqviſſima ſemper habita & cum inter Scythas & Ægyptios diu contentio eo nomine eſſet, argumentis tamen ſuperatis Ægyptiis, antiqviores ſemper Scythæ viſi. *Juſtin. L. II.* Sed Scythas Germanorum partem fuiſſe argumento nominis viri Eruditi jam collegerunt à ſchieſſen/ ſchützen ꝛc. Qvod ſi eſt, Germani ſunt Antiqviſſimi, vel certe eodem argumento, qvo illis, antiqvitas ſua ipſis conſtat,

qvia

qvia ſunt Indigenæ,& qvia ſoli adhuc Indigenæ, cæteris qvoqve Politioribus Nationibus hodiernis anteferendi. Prius in ipſo Tacito claret de *Mor. Germ. Ipſos Germanos Indigenas crediderim, minimeqve aliarum Gentium adventibus & Hoſpitiis mixtos &c.* Soli igitur ſumus ex omnibus, certe ex politioribus Nationibus, qvi ſine advenarum mixtura regnavimus, & a conditis monumentis ſine jugo Servitutis externorum latè regnavimus, atqve vicinis circumqvaqve imperavimus,qvod vix ullis populis à condito ævo per totum terrarum orbem contigit: *Umbri olim à Tyrrhenis ejecti,Tyrrheni à Gallis, Galli à Romanis, Romani à Longobardis,& ut Seneca dicit ad Albinam de Conſolatione, Totum Italiæ latus,qvod inferiori mari alluitur,major Græcia fuit. Tuſcos Aſia ſibi vendicat,Tyrii Africam incolunt,in Hiſpania Pœni,Græci ſe in Galliam immiſerunt, in ſe Græciam Galli,Pyrenæos Germanorum tranſitus inhibuit omnino, vix deniqve invenies ullam terram,qvam etiam nunc indigenæ colant, hæc ille. Aſſyrii inſuper, ut oſtendam omnium Gentium præter Germanorum Imperia corruiſſe, licet olim Imperium habuerint,Medi idem Perſæ, Macedones & Græci, resqve magnas, & egregias geſſerint, paulo poſt tamen in ſervitutem ſunt redacti: Imo & hodie immaniſſimæ Turcarum libidini, & dominationi ſunt expoſiti. Romani qvondam Domini Dominorum, hodie ſervi,&c. totaqve cum illis Italia, Vandalorum, Gothorum, Longobardorum, & cæterorum, qvi Italiam ingreſſi ſunt,qvaſi poſteritas. Gallorum non Imperium, & potentia modo, verum etiam nomen deletum eſt, atqve in Francos Germanos translatum. Soli Germani (in qvo ſingulariter gloriari poſſumus) à nullis nationibus pulſi Patria, nullis cedentes, nullius exteri Dominium paſſi, nullum occupatorem ſuſtinentes ſemper regnavimus. Qvod ſi aliqvando, fortunæ ceſſerimus, nemo tamen apud nos diu feliciter regnavit, & noſtræ invicem ſimul felicitati, & virtuti ceſſerunt omnes aliæ Gentes.* Hæc Bebelius *Diſſ. Qvod Germ. ſint Indigenæ.* Qvæ veluti noſtra merito facimus, ita ſi aſſumendum eſt qvod ſingulari capite demonſtrare conatur Cl. *Cruſius Tr. de Jur. Præced. L. III. c. XV.* Gentem Svevicam viribus & virtute ſua meruiſſe præcedentiam in Expeditionibus præ cæteris Germaniæ populis, Marchicis præcipue debebitur in Germania ille Nobiliſſimatus honos; *Vetuſtiſſimos ſe enim nobiliſſimosq́ Svevorum Semnones memorant.* ap. Tac. *de Mor. Germ. c. XXXIX.* At Marchicis

chici Semnonum poſteri ſunt. E. Conf. *Præſid. Not. in Juſti Chronicon. Francofurtenſe p. 19.*

XIV.

Porro Magiſtratui gerendo qvoqve Seniores præcipue admoti; *Qvis melius qvam ſenex imperat?* Erat acclamatio Tacito imp. in Senatu facta. *Cujus qvidem rei ita fuit cura majoribus, ut non ſolū in ampliſſimis Magiſtratib9 adipiſcendis, ſed in præturis, qvoq;, aut Ædilitatibus capeſſendis ætas ſpectata ſit peritorum. Nec, qvisqvam tantum voluerit nobilitate, vel gratia, vel pecunia, qvi annos Comitiali Lege præſcriptos feſtinatis honoribus occuparit.* Latinus Pacatus *in Panegyrico Theodoſio Imp. ſcripto* Et Ovid. L. V. Faſtor. *Nec niſi poſt annos patuit tunc Curia ſeros, Nomen & ætatis mite ſenatus habet. Jura dedit Populo ſenior, finitaq; certis Legibus eſt ætas, unde petatur honos.* Senatui hinc qvoq; nomen inditum, qvod in curiam cooptarentur Seniores. Apud Græcos eodem titulo Γερουσία fuit, apud Hæbræos Synedrium, tum magnum LXX Seniorum, tum Minora etiam; Sic n. Lucas tum in Evangelio cxxii. 66. tū in Actis C. xxii. 5. πρεσβυτερίου voce pro Synedrio magno uſus. Conf. Deut. xxi. 2. Pro Synedrio Minori aliqvo Deut. xxv. v. 7. ubi vidua jubentur ad portam ire ad presbyteros, Vid plur. *Selden Ux. Ebr. L. I. c. XV. p. 79. & ſeqq:* Qvo eciam ante citata verba ad Danielem facta in Hiſtoria Suſannæ faciunt: *Veni & ſede in medio noſtrum, & indica nobis, qvia Tibi DEus hodie dedit honorem ſenectutis,* ſeu πρεσβυτερίου. Apud Perſas ex Seniorum numero Judices fuiſſe electos controverſiis decidendis autor eſt Ammianus Marcellinus L. XXIII. Hiſt. Plur. exempla Atheníenſium, Carthaginenſium, Arabum aliarumve nationum vid apud Tiraqvellum citat. loc. n. 169. & ſeqq. *Gold. cit. l. c. XIIX.* Et ſane mediis ſeculis inde factum, ut nomen *Senioris* totum in Superioris ſenſum migraverit, & *Seniores* honoris cauſa dicti ſint, qvi Superiores & Domini ſunt: Qvemadmodum & Hiſpanorum *Sennores*, Italorum *Signori &, Signor,* Gallorum *Seigneur*, Anglorum *Sir* hac origine formata videntur. Et *Seniorum* eodem ſenſu meminerunt Feudiſtici Juris compilatores I. Feud. Tit. xvii. Qvibus modis Feud. amitt. *Si* Seniores *aſſentierint,* Si Seniorum *uxores adulteraverint,* ſi Seniores *in bello dimiſerint,* id eſt, ſi Dominos ſuos à qvibus Feuda obtinent, Vaſalli aggreſſi fuerint, vel in bello deſeruerint, &c. V. *Theſaur. præf. ad Deciſ. Pedimont. n. 9.*

XV.

In ſuffragando Senioribus PRÆROGATIVA relicta. *Exſpectavit loqventes, eo qvod Seniores eſſent, qvi loqvebantur* Job. XXXIII.4. Apud Perſas *Pharnabazus incepit diſſerere, qvia ſenior erat.* Xenophon. L.IV. Hellenic. De Athenienſibus qverela Æſchinis eſt Or. in Cteſiphont. *Vellem, Athenienſes, Leges, qvas de Oratorum diſciplina tulit Solon, obſervari, ut liceret primum natu maximo civium cuiqve, ut leges jubent, modeſte conſcenſo, ſine tumultu & perturbatione exuſu rerum optima qveqve ſvadere Reipublicæ, deinde tam cuivis civium pro ætate ſeorſim, & per vices de unaqvaqve re pronunciare.* Et mox: *Oppreſſum jacet Præconium illud omnium in civitate pulcherrimum, qvo proclamari ſolet. Qvis qvinqvagenario major concionem habere velit, ac deinde per vices, qvi alii Athenienſes?* Apud Romanos app. Claudius cum in Senatu prætereuntem vidiſſet L. Valerium dicturumqꝫ adverſus ſe ſuſpicatus eſſet: *Non eſt locus tuus*, dixit, *Valeri iſte, neqve convenit tibi nunc dicere, ſed ubi Seniores & honoratiores Te ſententiam protulerint, tunc tu vocatus, qvod tibi videbitur, dices*, ap. Dionyſ. Halic. L. XI. Plura vid ap. *Gold. c.* XX. Cui mori & hodienum complures & Reſpublicæ & Collegia inhærent, eodemqve Senatum Auguſtum Principum inſtruit autor des Deutſchen Fürſten Stads P.I c. VI. Ac licet alibi à Junioribus incipiatur, idqve ne formident a ſententia Majorum declinare, id ipſum tamen honori Senioribus vertunt, qvia, ut ait Iſidorus, finis plus habet honoris. *V. Matth. de Afflict. Deciſ. Neap. I. n. 6.* Et ex eo *Anton. de Gamm. Luſitan. Deciſ. I. n. 11.* Unde & rationem derivant, cur ſi Præſes Senatus accedat voto pauciorum, adeo ut hoc acceſſu ejus par numerus diſſentientium reddatur, ſententia ferenda ſit juxta vota illorum, qvibuscum Præſes convenit, qvia in eo non ſoleant niſi Seniores aſcribi & in judicando expertiores. *Vid. Anton. Theſaur. Deciſ. Pedim. 1. n. 5.* Item cur in pari numero votorum illa ſententia prævaleat, cui ultimus Senator votum ſuum adjunxerit? Juniorem enim conſummando operi ultimam manum haut facile adjecturum; *Qvi qvamvis doctus ſit, non tamen credendum eſt, cum cætera habiturum ad recte judicandum, qvæ in Senatoribus antiqvioribus & practicis, ac experientia magiſtra conſummatis reperiri ſolent.* Anton. de Gamm. citat. n. 12.

XVI.

Sed morum etiam Antiqvitas & Prærogativa ei delata in numerum vocanda eſt. *Antiqviſſimum qvodqve veriſſimum*, antiqvum & probatæ fidei Axioma eſt; Veritas enim ſemper eadem, ergo & Antiqviſſima. Addiderimus *Antiqviſſimum qvodqve optimum eſſe*, nam & Bonitas ſemper eadem, eoqve antiqviſſima eſt. Inſtantia contraria à Diabolo ſumpta non ignota eſt, Diabolum etiam antiqvum eſſe; Sed inde ſeqvitur, Diabolum verè fuiſſe & adhuc eſſe Diabolum: Veteres Errores etiam vere Errores ſunt, vetera mala verè mala; Reipſa autem, qvæ falſa aut mala, nec eadem, nec antiqva, ſed infinita ſunt, veluti omnis receſſus à Vero & Bono in infinitum tendit. Idem Dei monitum eſt. *Jer. VI. 16. Interrogate de ſemitis antiqvis, qvænam ſit via boni, & ambulate per eam, ita invenietis reqviem animæ veſtræ.* Sed qvi Iſraëlitas, ſe non ita ambulaturos turpiter reſpondiſſe, ibidem non ſine dolore qveritur. Eodem referendum *Prov. XXII. 28. Ne moveto terminum Antiqvum, qvem aptarunt Majores tui.* Ad qvæ Berchorius. *Ideo inqvit, nos Clerici & Religioſi, qvi ab Antiqva Sanctorum Patrum conſvetudine nunc ſumus qvaſi penitus alieni, debemus dicere Domino illud Ps. Ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiqvæ Domine? Qvaſi dicat, ubi ſunt miracula & mirabilia opera, qvæ Sancti antiqvitus faciebant, conſtantia qvam habebant, pœnitentia qvam ſuſtinebant, Zelus fidei qvo fervebant, virtutes qvibus pollebant. Utinam ergo Deus ad illas primas antiqvitates nos reduceret, & nos virtutibus renovaret, dicens illud Amoſ. IX. Suſcitabo tabernaculum Davidi, qvod cecidit, & qvæ corruerant, reſtaurabo, & reædificabo eum ſicut à diebus antiqvis &c.* Repert. Mor. *Tom. III.* fol. 191. Sic apud Romanos cum Perſeus Macedonum Rex deceptus eſſet ſpe Pacis, negabant Veteres Senatorum ſe agnoſcere Romanas artes: Majores nunqvam, ut aſtu magis qvam virtute gloriarentur, Bella geſſiſſe. *V. Grot.* L. *III. c. 1. §. XX.* Et C. Caſſium Senatui ſolicite inculcaſſe legimus *Super omnibus negotiis melius atqve rectius olim proviſum, & qvæ converterentur in deterius mutari*, apud *Tac. Ann. XIV. 43.* De Antiqva virtute Germanorum nihil attinebit dicere, cum ad ejus exempla omnes æqve provocent. Cur in LL. Humanis ſecus ſe habeat, neqve idem Novarum tenor ſit, qvi veterum fuit, id in imbecillitate humana

ſitum eſt, qvæ congruis, ratiociniis commoda & neceſſitates ſuas nondum ſatis emenſa eſt. Ideo & ipſas Reſpublicas ad metam non æqvaliter decurrere cernemus; Sed laſſantur, & ſe inflectunt, & grande illud Imperii pondus aliqvandiu recta cervice ſuſtineri vix poteſt ſemper. *Priol. Libr. II. c. 47.* Et in privato hominum Statu veluti omnis varietatis, ita in Specie *Varietatis Alamodicæ* cauſa hinc qvoqve pendet; Sentiunt n. adhuc homines commoditatem habitus ſui augeri poſſe, unde variis modis ejusdem ſatagunt, nulla tamen ratione ſtabili: Nam perſonæ qvæ varietati huic maxime ſtudent qvia aut è Gynecæo aut Gynecæi aſſeclæ eoqve debilioris intellectus ſunt, rei humanæ eo modo qvo fas eſt conſulere non poſſunt; Unde id faciunt qvod imperiti artifices, qvi qvia rem ſibi propoſitam non ſatis intelligunt, eandem ſæpius & tentant & perdunt.

XVII.

De Antiqvitate Eccleſiaſtica, ejusqve Prærogativa ex iisdem judicandum erit, cum & hic obtineat, *Antiqviſſimum qvodqve eſſe veriſſimum*; Illud enim certum eſt fidem eſſentialem eſſe unam & eandem illam ipſam antiqviſſimam, qvam Chriſtus & Apoſtoli docuerunt. Vid. *M. Ant. de Dominis de Rep. Eccl. L. VII. c. X. n. 102.* Ideo in prima ſtatim Univerſali Synodo Nicæna iſtud, τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, *Antiqvi mores obtineant*, circa primatus controverſiam Canone VI. inculcatum fuit; Mox Canone VII. in eadem materia: *Qvoniam conſvetudo obtinuit & antiqva Traditio, ut Æliæ Epiſcopus &c.* Et Baſilius Magnus maxime laudavit Muſonium Neocæſarienſem Epiſcopum *Ep. LX. II.* *Qvia in ſe viſendam præbuit priſcam Eccleſiæ formam, velut ad Sacram qvandam veteris Status imaginem Eccleſiæ ſibi commiſſæ faciem effingens, ita ut ſubditi illius cum illis vixiſſe videantur, qvi ante ducentos annos & ultra inſtar luminarium reſplenduerunt; Ita nihil de ſuo, nihil qvod novæ alicujus cogitationis inventum reſiperet in medium attulit hic vir: Sed juxta benedictionem Moyſis ex ipſis arcanis cordis ſui ac bonis Theſauris vetera veterum & qvæ ante faciem juniorum vetera eſſent, proferre novit. Hac ſane ratione & in ipſis conſortium ac coæqvalium conſiliis primo honore potitus eſt, non propter ætatis Prærogativam, ſed qvoniam omnes ſapientiæ vetuſtate ſuperabat, communi conſenſu & condonatione primas obtinuit. Qvantum vero lucri dederit talis inſtitutio, nemo qvieſ-*

erit, is modo ad nos reſpexerit: Nam ſoli inter eos, qvos novimus, vel admodum cum paucis in tanta rerum tempeſtate ac turbine tranqvillam per ejus gubernationem vitam egiſtis. Non enim apprehendit vos hæreticorum ſpirituum procella, qvæ mentibus leviuſculis & ſeductioni facile expoſitis ſubverſiones affert & naufragia. Vid. Baron *Tom. III. Ann. ad A.CCCLXIII.* Qvi inde & explodendæ recentiorum, qvos ita vocat, novitatis argumentum petit. Sed novitas illa tollit tantum veterem deformationem, ut puritas vetuſtatis qvæ præceſſit deformationem, reſtitueretur; Et ſic novitas reformationis non dat Eccleſiæ novitatem, ſed reſtituit Eccleſiæ puram vetuſtatem. *M. Anton. de Dominis cit. l.* E qvibus & ſatisfieri poſſe autumamus Qvæſtioni qvousqve ſe porrigat Eccleſiæ Antiqvitas? Qvam *Johannes Zwellus* Sexcentis primis annis includit. *V. Tom. I. op. ejus Præf. ad Lect.* Qvadringentis annis Jacobus Rex Angliæ in Op. Reg. f. 300. & poſt eum P. Molinæus, L. de Euch. c. XX & alii commodiſſime ambitu qvatuor univerſalium Conciliorum circum ſcribunt; Poſt illa tempora enim homines non adeo amplius de fide, qvam circa fidem ſoliciti fuerunt: Sicqve & à Januſio Radzivilio Principe Directore Conventus Thorunenſis factum legimus in Epiſtola nomine conventus A. 44 ad Regem Poloniæ data.

CAP. II.
DE PRÆROGATIVA INTELLECTUS.

I. CAuſa Prærog Intellectus.
II. Ejusdem uſꝰ in Functionibꝰ Publicis, earumq; Diverſitate. Cur Functiones Sacræ Secularibus anteferendæ? Modeſtia Sacri Ordinis. Cur demiſſis ad talos veſtibus utantur?
III. Literatorum præ Illiteratis Prærogativa Diſcrimen Literaturæ & Pedantiſmi. Profeſſionis Morum neceſſitas.
IV. Cur Sexus Fœmineus Functionibꝰ Publicis non adhibeatur? Scriptores de Præſtantia Sexus Fœminei. Cur eidem honoratiorem locum tribuamus? Cur Hoſpitibus?
V. Cur maturior Chriſtianiſmi amplexus Prærogativam tribuat?
VI. Cur Libertas?
VII. Cur Potentia? Prærogativa Militum.

adhuc Politiores Nationes ſeſe aliis præferunt, easdemqve pro Barbaris habent, qvod intellectu feliciori ſint, eidemqve conformia agant, cæteris gentibus naturæ rudioris ductum ſine ope intellectus ſeqventibus, qvod ſeqventi Capite III. pluribus demonſtrabimus.

II.

In functionibus humanis vero hanc rem inprimis conſpicere eſt, ſunt enim veluti totidem exercitia Intellectus, unde earum major minorve amplitudo majorem minoremve Prærogativam gignit. Sic Reges, Principes aliis eminent ob functionis amplitudinem, Cives nempe ipſum præſtare poſſe, qvod alii præſtando non ſunt, agnoſcunt. Conſiliarii Prærogativa iisdem proximi; Cenſentur n. eſſe de Corpore Principis. In Collegiis Lectores, Præſides, Decani Prærogativa gaudent; Singulorum functiones n. veluti in complexu gerunt. Functiones Sacræ præferuntur Secularibus, ob objecti majorem amplitudinem; Et Clerici ideo apud Catholicos Secularibus qvibuscunqve, ob cauſam eandem: Qvod tamen illis dubium facile vdieri poterit, qvi Imperium circa Sacra intra, non extra Rem publ. ponunt. E qvo etiam ſeqvitur, Clericos aliorum concives, adeoqve ipſis æqvales, non ſuperiores eſſe, eorumqve Prærogativam non aliunde, qvam ex modo functionis dependere. Immo ne Functionis qvidem reſpectu litigioſe contendere fas eſt. Vere humiles n. eſſe à Domino jubentur, qvi non ſunt, qvam diu obtentu Functionis ſuæ ſe aliis neceſſario anteferendos ſtatuunt; Faſtum adverſæ partis n. qvem ita ſe conculcaturos confidunt, conculcant tantum alio faſtu. Neqve Lex Charitatis etiam, qvam acceperunt, patitur ipſos juri ſuo moroſe inſiſtere, qvippe cujus effectus eſt, ut qvamvis poſſimus uti jure noſtro, eodem tamen cedamus, qvamdiu vel vitæ vel ſalutis noſtræ vel Reip. ſummum periculum inde pendet: Charitas n. tegit omnia. *Non aliam ob cauſam Religioſi demiſſis ad talos utuntur veſtimentis*; qvibus & terram verrunt, *niſi ut ſignificent, eos pompam hujus mundi luxumq. & ſuperbiam omnem, qvam tanti faciunt homines ſeculares, deteſtari & pro minimo ducere: Sed qvotidiana, proh dolor, Experientia nos docet ſignum ſignato eſſe contrarium. Nimis, nimis ſunt pompoſi nimis delicioſi, vani nimis, imo potius carnales, qvam ſpirituales.* Cornel. Muſſus, qvem Italorum Chryſoſtomum dixere, *part. II. de Gent. ad fidem Chriſti vocatione.*

III. Porro,

III.

Porro, qvi ad intellectuales functiones obeundas magis apti ſunt illis, qvi ad easdem adminiſtrandas minus apti ſunt præferuntur, cauſa manente eâdem, qvia ab intellectu omnis noſtra perfectio, eoqve & Perfectionis gradus pendet. Sic Cives præferuntur Ruſticis, qvippe terræ alligatis, qvæ ab intellectualibus longiſſime abeſt. Studioſi Mercatoribus, qvia hi rem humanam, qvod intellectus opus eſt, curant, Mercatores bonum privatum ſuum, qvod homines cum brutis commune habent. In genere Literati illiteratis, qvia illi qvod ad intellectum pertinet curant, hi qvæ corporis ſunt, tantum reſpiciunt: Qvæ etiam in ſpecie Magiſtrorum, Doctorum, Profeſſorum juſta Prærogativa eſt, cum æmuli ipſorum vel nullo, vel minori intellectus beneficio gaudeant; Iſti vero exqviſitiora ejus beneficia poſſideant, veluti Magiſter prudens & rerum intelligens eſſe poteſt, Doctor univerſæ rei humanæ deſtinari: Cui argumento eſt, qvod nulla reciprocatio inter comparata ſic vivendi genera inſtitui poſſit, ob majorem unius, minoremve alterius capacitatem. Sic Cives ruſtici, Studioſi inſtitores, Magiſtri, Doctores viri graves eſſe poſſunt, ſed non viceverſa. Soli Literiones huc non pertinent; Doctrinam ſolidam enim non habent, ſed affectant imbecillitate Ingenii impediti. Sic Aſinus Eſopicus Leo videri volebat ſed Leoninam pellem tantum induere, naturam mutare non poterat; Rana Eqvo aſſimilari deſiderabat, ſed collecto nimio ſpiritu crepabat media. Literatorum male moratorum qvoqve deterior conditio; Politi mores enim ſignum politi intellectus ſunt, qvibus qvia carent, ſolis Libris, non Ingenio niti, & Scholæ, non vitæ ſtuduiſſe cenſendi ſunt, qvod Pedantiſmi eſt. Nam veterum illud æternæ veritatis eſt: *Qvi proficit in literis, & deficit in moribus, plus deficit qvam proficit.* V. Joh. Caſa *in Galatheo* paſſim. Magnaqve ex parte in eo communis contemptus Eruditorum & Vitæ Academicæ cauſa ſita eſt, Viris cordatis vitia particularia aliqvorum univerſæ Rei literariæ tranſcribentibus: Et indoluit inprimis huic vitio Illuſtris Fundator Gymnaſii Bethanienſis in Sileſia, ideo Academiis & Gymnaſiis inſolitam, neceſſariam tamen Profeſſionem Morum diſtinctam a Profeſſione Ethices & Politices in Gymnaſio ſuo inſtituit, ut moratum æqve ac literatum aleret Auditorium. Den Profeſſorem morum anlangende/ welche Profeſſion ich ſehr hoch/ und im menſchlichen Leben ſehr

nöthig und nützlich erachte / da iſt meine Meinung nicht / daß derſelbe die Jugend und Knaben / wie ſie ſich in einem und dem andern bey Tiſche / im Hauſe gegen den Præceptoribus und ſonſten allenthalben in ihrer Jugend zu verhalten haben (denn ſolches haben ſie in ihrer Jugend von ihren Elteern und erſten Præceptoribus zu vernehmen / ſind auch hiervon unterſchiedliche Handbüchlein verhanden /) ſondern meine Meinung iſt / daß er diejenige / ſo ihre Studia mehrentheils abſolviret, unnd Vorhabens ſeynd / in einen gewiſſen Standt zu treten / und entweder ſelbſt zu regieren / zu dienen / oder ſich bedienen zulaſſen / informiren, unterweiſen / und lehren ſollen / wie ſie ſich in Reden und Geberden tam publice, qvam privatim in omnibus actionibus & in qvovis vitæ genere gegen jedermänniglichen / ſo wol denen / ſo Standes und Ehren halben ihnen gleich / auch unter ihnen ſeyn / verhalten ſollen. Denn die Erfahrung bezeugts / daß den Gelehrten unter den Evangeliſchen / ſo niedriges Standes ſeyn / ſonderlich den Theologis, Paſtoribus und Philoſophis in ihrem Auffnehmen / Fortkommen und nützlichen anliegen / ihren Studien offtmahls nicht mehr verhinderlichen iſt / denn daß ſie in moribus ſo gar nicht unterrichtet / und ſich gar nicht gegen den Oberen / und in das gemeine weltliche Weſen und Zuſtand zu ſchicken / weder zu richten wiſſen / gereichet auch der Evangeliſchen Kirchen nicht zu weniger Verachtung.

IV.

In comparatione ſexus Maſculini & Fœminini eadem ratio claret, & Fœminæ ſi munerum publicorum, & Dignitatum capaces ſunt, in comparatione tamen cum ſexu Maſculino, eidem cedunt, ob incommoda ſexus majora. Extat hac de re egregia oratio Kennedi Archi-Epiſcopi S. Andreæ in Scotia; Qvi cum tutelam Mariæ Reginæ Scotiæ è Gallis oriundæ Ordinibus Scotiæ diſſuaſiſſet, & Vetuſtam Scotorum conſvetudinem allegaſſet, qva Reginas ne Reginas qvidem, ſed Regum uxores appellaverint, idqve eo fine, ut qvoties mentionem ſui fieri audirent, ex adjuncto viri nomine ſe viris obnoxias eſſe meminiſſent, Naturam ipſam in Partes vocavit, qvam Autor talium ſeu Legum ſeu Conſvetudinis ducem habuerit: *Natura enim,* inqvit, *ab initio non modo viros à fœminis animi corporisqve viribus diſcrevit, ſed ſua cuiqve Sexui munia, ſuas virtutes genere qvidem easdem, gradu vero longe diverſas attribuit. Nam qvi minus indecorum eſt fœminis, Jus dicere, dele-*

ctum habere, exercitum ducere, ſignum pugnæ proponere, qvam Viro lanam, colum, telam, cæteraqve muliebris infirmitatis tractare miniſteria; qvæ in Viris liberalitas, fortitudo, Severitas, in muliere profuſio, veſania, crudelitas habetur: contra qvod in fœmina elegans, come, venuſtum, in viris fractum, elumbe, putidum judicatur. Hæc natura ſponte diſtincta, qvi permiſcere & confundere conantur, nonne vobis videntur omnem regni ſtatum, legibus & inſtitutis optime formatum, non perturbare, ſed omnino evertere: Cur ergo, pergit, *eorum uxores hic nobiſcum non conſultant? Judiciis præſident? Leges ſvadent, aut diſſuadent? Cur non domi ſuæ ipſi rem familiarem procurant, & uxores in caſtra mittunt? Qvod ſi qvibus rem familiarem committere vix audent, nedum minimæ negotii publici parti pares eſſe exiſtiment, eas noſtris imponere volunt cervicibus. Videte, qvam ſibi conſtent: Sic ipſi infirmitatis ſuæ ſibi conſcii, idem ſentiunt, qvod loqvuntur, ſed pudore magis, qvam judicio cohibentur, deſinant male ſperare de aliis, qvi ſua, hoc eſt virorum officia implere & volunt & poſſunt. Iſti*, inqvit iterum, *non Te, ſed tuam fortunam alloqvuntur, & dum Reginam cogitant, eandem qvoqve fœminam eſſe, oblivisci videntur. Cur fœminam dico, (ne qvis contumelioſe id dictum interpretetur) hominem dico, cui natura complurima dederit blandimenta, & indulgentiæ ſuæ munera, nonnulla etiam admiſcuit (ut pulcberrimis qvoqve precioſiſſimis rebus ſolita eſt) infirmitatis incommoda: Ideoqve non ſui protegendi ſatis potentem, in aliena voluit eſſe cuſtodia: Adeoqve in alios Imperium non dedit, ut Leges, naturam imitatæ, in perpetua Parentum, fratrum, maritorum tutela, fœminas eſſe juſſerint, neqve hoc ad earum eſt excogitatum ignominiam, ſed infirmitati inventum remedium: Nam cum eas negotiis, qvibus ſunt impares, arcet, beneficium eſt conſulentis pudori, non honori detrectantis contumelia.* Vid. Buchanan. *Rer. Scotic. L. XII.* Et laboravit qvidem Henr. Corn. Agrippa ſingulari Oratione pro commendanda Præſtantia Sexus Fœminei, ſed Oratorum more Argumentis Topicis, non Demonſtrativis. Talia ſunt: Fœminam ultimo productam eoqve in intentione Divina primam fuiſſe; Eandem materia creationis virum præcellere: In generando homine plus conferre, qvam virum: Propter mulierem Deum viro benedixiſſe & ſim. Extant & aliorum Scripta in laudem Fœminarum, & legimus Poëtam Germanicum

Henri

Henricum Frauenlob labore ejusmodi meruiſſe, ut cum vita functus eſſet, Fœminarum humeris ad ſepulchrum ferretur: *A. Domini MCCCXVII. in vigilia S. Andreæ ſepultus eſt* Hainricus *dictus* Frouuenlop *in Maguntia in ambitu majoris Eccleſiæ juxta Scalas honorifice valde: Qvi deportatus fuit a mulieribus ab Hoſpitio usq; ad locum Sepulturæ & lamentationes & qverelæ maximæ auditæ fuerunt ab eis propter Laudes infinitas, qvas impoſuit omni generi Fœmineo in Dictaminibus ſuis: Tanta etiam ibi copia fuit vini fuſa in ſepulchrum ſuum, qvod circumfluebat per totum ambitum Eccleſiæ.* Albert. Argentin. *Chron. fol. 166.* Sed laudem eas mereri certum eſt, at Prærogativam ne habeant, incommoda ſexus nunqvam non obſtabunt. Interea honoratiori loco apud viros gaudent, ut teneritudini ipſarum indulgeatur: Nam qvia honorari eas volumus, faciendum eſt, ne ipſis diſpliciamus. Qvæ ratio qvoqve eſt, cur Hoſpiti in ædibus noſtris Prærogativam loci tribuamus, qvia honorandum ducimus, adeoqve nullo modo, committendum eſt, ut ipſi diſpliceamus.

V.

A Chriſtianis Principibus idem argumentum aſſumptum fuit, ut Prærogativam præ aliis Principibus ſibi ideo attribuant, qvia citius Chriſtianiſmum amplexi ſint: Tota Doctrina Chriſtiana enim perfectiſſime Intellectualis eſt, adeoqve Beneficio hoc qvi prius excelluit, Prærogativa merito gaudet. Prius demonſtratum a *Grotio de Veritate Relig. Chriſt.* Exempla ſingularum Nationum Scriptores hujus argumenti ſuppeditant, qvorum partem ſeq. Capite IV. exhibebimus. Atqve hunc morem in Conciliis præcipue obſervatum fuiſſe urget idem *Grotius J.B. L. II.c. V.§. XXI.* Idem de Concilio Conſtantienſi perhibet Æneas Sylvius *L.* II. *de Geſt. Conc. Baſil.* f. 50. F. Ubi cum retuliſſet, in nominandis Concilio Baſileenſi Electoribus Novi Pontificis omiſſum fuiſſe Nationum ordinem, qvia onerosum crediderint Nationem Nationi præferre: *Ego autem,* inqvit, *neqvaqvam timebo Nationum ſervare ordinem,* qvi Conſtantiæ fuit *ſervatus; Nec mihi invidiam timeo, qvia nec præpoſitis gratiam, nec poſtpoſitis injuriam faciam; Ordinem namqve iſtum neqve Nobilitas, neqve majoritas, ſed tempus peperit: Qvia ut qvæqve Natio Verbum Dei prius ſuſcepit, ſic prior habetur;* Addit tamen: *Nec aut laudi eſt mihi, aut vituperio, dummodo Chriſtianus*

ſim, majorum meorum matutina aut veſpertina Converſio, nec plus babet in Evangelio, qvi mane ad vineam venit, qvam qvi veſperi. Et Galliæ Regis Orator, cum contrarius deſideratæ Prærogativæ Regis ſui actus in Concilio Tridentino accidiſſet, ex eodem capitæ Proteſtationem interponere conſtituerat: *Notam eſſe iis, qvi in Jure Pontificio & Eccleſiæ* Romanæ Hiſtoriis verſantur, *Regis Galliæ* Prærogativam; Nec minus his, qvi Conciliorum volumina freqventarunt, qvem in iis locum tenuerint Regii Oratores. Certe ſuperioribus Conciliis generalibus Oratores Regis Catholici Regis Chriſtianiſmi Oratoribus poſteriores fuiſſe ſi: At hoc tempore factam eſſe mutationem; Non ab ipſis Patribus; Qvibus ſi Libertas conſtaret, nullum illi Principem poſſeſſione ſua moturi eſſent &c. *Pium IV.* ſemina diſcordiæ ſpargere, ut pacem inter Reges concordes turbet; Mutato per vim & injuriam ordine ſedendi ab Oratoribus ſemper obſervato, etiam poſtremum in Conciliis *Conſtantienſi & literanenſi;* Idqve ut ſe Concilisi Superiorem demonſtret. Sed neqve poſſe ipſum Regum amicitias interturbare, nec doctrinam Synodorum *Conſtantienſis & Pariſienſis, qvod Concilium eſt ſupra Papam* antiqvare &c. Lege Divina, Gentium, & Civili Primogeniti rationem haberi, Patre & vivo & mortuo; *Pium* tamen Regem Primogenitum aliis multo poſt tempore natis non præferre. Deum *Salomonis* Dignitatem imminuere noluiſſe Patris *Davidis* intuitu: *Pium* tamen IV. nullo meritorum *Pipini, Caroli, Ludovici,* & aliorum *Galliæ* Regum aſpectu, ſuo decreto Prærogativas Succeſſoris tantorum Regum abrogatas velle. Contra Leges Divinas & humanas, ſine ulla cauſæ cognitione, Regem condemnaſſe, abſtuliſſe antiqviſſimam ei poſſeſſionem, contra cauſam pupilli & viduæ pronunciaſſe. V. Petr. Svav. *Hiſt. Conc. Trid. Lib. IIX.*

VI.

Libertas qvoqve Argumentum Prærogativæ eſt, ſed itidem ideo, qvia beneficio intellectus Liberi ſumus. Libertas eſt poteſtas in ſe: Qvi poteſtatem in ſe habet, ſe ipſum regere poteſt, h. e. novit rationem declinandis omnibus incommodis ſuis parem; qvi Liber non eſt, id non novit, ſed rationem agendi aliunde accipit: Libero ergo deterior eſt. Sic Liber homo, præſtantior ſervo, Libero Reſp. Provincia ſubjecta: Urbs

Impe-

Imperialis municipali, hæc enim ſui juris eſt, altera juris alieni.

VII.

Major potentia Prærogativam fundare poſſe videtur, æqve ac honorem fundari diximus, ut agnoſcamus Potentiam & nolimus diſplicere; Qvi cedit enim, utrumqve honoris membrum explet; Et Liberi ideo cedunt Parentibus, ad honorandos eos enim obligantur. Sed potentia rurſus non aliunde, qvam ex perfectione intellectus æſtimanda; Extra hanc ſi ſit, qvi potentior eſt præponderat qvidem, ſed non præſtat. Status militaris prævalet togato: Nam & invitis Leges condit. Nimrod prævalebat aliis, erat enim potens venator coram Deo. Mercator Literato ſe præfert, opibus enim apud ſui ſimiles aliqvando prævalere videri vult. Et priſcus Jupiter Gentilium Deaſter vocatis ad concilium Diis Seſſionis Prærogativam juſſit habere Deos Barbaricos ingenti magnitudine ex ſolido Auro fabricatos præ Græcorum Diis non aureis, utut opera Phidiæ vel Myronis artificioſiſſime elaboratis: Qvam fabulam ex Luciano huc trahit *Natta Conſil. 637. fin.* In Rerumpublicarum Prærogativa a. nullo modo argumentum inde duci poteſt, qvia Juribus omnes æqvales, omnes æqve independentes, immenſurabiles, ſummæ ſunt, atqve non niſi uni Deo ſubjectæ. Sic nec Epiſcopus unus ex hoc altero eſt dignior, qvod majorem habeat diœceſin. *Innocent. in c. ſtatuimus de Majorit. & Obed.* Et Præfectus urbi, cujus Jurisdictio auguſtoribus terminis urbis Romæ conſtringebatur, aliis Præfectis Africæ &c. non fuit poſterior, ſed par, ita ut prior præfectus urbi vinceret alios Præfectos tempore poſteriores *l. 1. C. de Præf. Prætor. ſive urb.* ap. Hermes *Faſcic. c. XXIII. n. 55.* Add. Joh Bapt. Leonellius Bartolinus JC. Perus. Tr. de Præcedentia Hominis ubi Q. XI. Art. VI. ſingulariter diſputat: *An Principes differant inter ſe ratione Potentiæ & qvomodo?*

IIX.

Deniqve & commodorum reſpectu Prærogativa naſcitur: Qvod in humanis rurſus ad perfectionem intellectus referendum: Qvi enim multis commodo eſſe poteſt, is ingenii dexteritate, adeoqve intellectu pollet: Qvis aliis commodo non eſt, terræ pondus eſt, peculiari inutilis charactere ea Propter inſtructus:

Qvi ſe commodo eſſe jactat, cum non poſſit, magnus fatuus eſt. Extra rem humanam, qvicqvid commodorum eſt, id nihilominus vel ad perfectionem hominis, vel certe ad perfectionem univerſi reducendum eſt, ſi Prærogativæ Jure frui debet. Sic Sol, Stellæ Cœlum extra hominem creaturis Sublunaribus præſtant, majorem perfectionem enim univerſo addunt: Et Scholarum axioma: *Animatum præſtantius eſſe inanimato*: Si generaliter accipiatur, non niſi ex obſoleta de Formis earumqve perfectione ſententia fluxit. Qvotusqvisqve enim muſcam aut pediculum Sole præſtantiorem dixerit? Itaqve opinamur id accipiendum eſſe non ſimpliciter, ſed cæteris paribus, & manente ejusdem naturæ Subjecto; Et ſi Phraſi Scholaſticorum uti fas eſt, Inanimatum accipiendum eſt privative, non negative: Sic n. corpus vivum præſtat cadaveri: Habitus enim melior eſt privatione, & generalius, Eſſe melius eſt, qvam non eſſe. Sed Muſcæ id præ ſole nihil addit; Neqve enim vel homini vel univerſo aliqvam perfectionem addit, qvæ è contrario à Sole eſt longe maxima.

IX.

Atqve ex fontibus hiſce ſimilibusve, vel minus propriè acceptis, vel minus rite collatis nata & illa Prærogativæ contentio vel jurium Prærogative collatio, qvam impropriam dixerimus, dum vel de rerum æqve indignarum majori minorive, præſtantia contendi vel minus digne Prærogativam dijudicari à Scriptoribus videmus. Cujus generis Specimina paſſim extant in rerum inutilium, vel manifeſto malarum Encomiis, cujusmodi ſunt, *Encomium Publicis Cælii Calcagnini* & Petri Galliſardi, & inter Germanos, Der Flöhen Zanck und Strauß gegen der ſtoltzen Lauß: Franc. Scribanii *Principatus Muſcæ*, Johan. Barbatii (ſic n. Autor vocari voluit) *Barbæ Majeſtas*. Æmilii Porti *de Nihili Antiqvitate & multiplici Poteſtate*, Guil. Menapii *Encomium Febris Qvartanæ*; Aliorum de *Calvitia*, *Podagra & ſſ.* magno numero collecta a *Caſp. Dornavio in Amphitheatro Sapientiæ Socraticæ*. Qvæ ſiqva gratia pollent, Signa certe ſunt luxuriantium Ingeniorum, & Intellectus intra ſe laborantis, qvi cum Dignis Objectis deſtitueretur, in fœtus hujusmodi fovendos incidit, ſimiles prorſus telis aranearum, qvæ opere qvidem ſubtiles ſunt, ſed uſu carent.

C. M.

CAPUT III.

DE PRÆROGATIVA PARTIUM ET INCOLARUM ORBIS.

I. PRærogativam partium Orbis ex commodorum numero pendere: Veteres nō ſimpliciter credidiſſe Zonam Torridam non, eſſe habitabilem: Cur Montanorum in re humana minor habeatur ratio. Singularia Singularum Partium Orbis.

II. Europæi. Americanis & ſſ. præſtent? Examen dicterii Chinenſis, Se ſolos duos habere oculos &c. Chinenſium defectus.

III. Conſideratio eorum, qvæ Chinenſes nunqvam habuere, ſed unice Europæis debent.

IV. Chinenſium Singularia, qvæ nec dum apud Europæos fuere,

V. Communia Chinenſium & Europæorum, & cur Europæi in illis nihilominus antecellant.

VI. Veſtigia virtutum extra Europam, qvæ apud Europæos vel deſunt, vel in obſcuro ſunt.

VII. Præſtanti Europæorum in vita rationali & ſociali.

IIX. Barbaries plerorumq; populorum extra Europam; Anthropophagiæ conſideratio; An Europæis jus dederit invaldendi Americam?

I.

PRopoſuimus generalia Principia Prærogativæ; Earundem Specialem applicationem nos ſuſcepturi, Præſenti capite Prærogativam Partium Orbis & Singularum Gentium conſiderabimus, idqve eo lubentius, qvod ab aliis, qvi in hoc ſcribendi genere verſati ſunt, haut perinde tractata ſit; Et primo qvidem Partes Orbis qvod attinet, comparationis eoqve Prærogativæ ratio ex commodis, qvæ vitæ humanæ ſingulæ ſuppeditant, æſtimanda erit; Unde qvo, minora aliqva pars præbet commoda, eo minori erit præſtantia, qvo majora ejus commoda erunt, eo magis præſtabit. Sic Novam Zemblam, aliasqve regiones Zonæ frigidæ incluſas nemo nega-

negabit aliis cedere, cum parum commodi ad vitam humanam inde redundet. Similiter loca arenoſa Zonæ Torridæ, qvod itidem conflictentur cum incommodis infinitis, nullam Prærogativam habere poterunt: Unde factum, ut ne habitabilem qvidem Zonam Torridam horum reſpectu ſenſerint Veteres; Qvod intelligimus, non qvod Zonam Torridam plane non habitari, ſed qvod tales ejus partes commode habitari non poſſe crediderint. Iterum Montana minori Prærogativa ſunt qvod minus obvia præbeant commoda, eoqve aliis locis ad commercii aptioribus cedunt. Sic Wallia abjectisſima pars Angliæ eſt, qvia minori commerciorum uſu inſtructa. Cantabria Montana in Hiſpania ſimili ratione ſe habet ob cauſam eandem. In aliis vero Orbis partibus, in qvarum ſingulis nativa Bonitas commendatione digna videtur eſſe, qvales in Europa Italia, Gallia, Germania, in Aſia, Perſia, India, China, In Africa Ægyptus; In America Braſilia, Peruvia, Regnum Mexico, & regiones intermediæ, non tam Prærogativam qværendam putamus. qvam ſingularum dona & commoda æſtimanda eſſe. Manentqve Europam alia, alia Aſiam, & Americam, unde tanto difficilior comparandi, eoqve prærogativam æſtimandi ratio accidit, cum comparatio non inſtituatur de iisdem. Sic frumenta, ſecale, triticum, hordeum, & tot fructuum genera, Poma, Pyra &c. nobis naturalia ſunt, ſed in Aſia & America creſcere neſciunt & ſeges frumentorum læte qvidem viret, in culmos etiam ſurgit, Spicas accipit, flores præ ſe fert, ſed granis caret, qvæ nunqvam flores ſeqvuntur. Arbores noſtræ in Americam translatæ etiam non ſine gratia ſunt, ut virorem induant & flores ferant, ſed fructibus carent, prioribusqve foliis & floribus, nova folia & flores ſuccedunt qvidem, ſed nunqvam fructus: E Contrario Oryza Aſiæ familiaris eſt, qvæ in Europa provenire neſcit, cum Orientales eâ loco panis veſcantur. Alia hujus generis ex Itinerariis huc facile transferentur,

II.

Prærogativam Nationum v. ex utroqve, qvam diximus. Fonte Prærogativæ hauriri oportet. De Antiqvitate, qvodqve illa Germanis adhuc Prærogativam præſtet, jam dictum *Cap. I.* De Prærogativa Intellectus hic pluribus dicendum erit. Americanos ideo minoris facimus, qvod minori cultura rationis ſint, ſimpliciter Lappos, Finnos, Samojedas, qvi itidem minori perfectione ad ea qvæ agerent,

hactenus inſtructi extitere; Manere vero hac in re Europæos Prærogativam aliqvam tot inventa, tanqvam intellectus eorum fœtus, nos dubitare non ſinunt. Et Chinenſium Dicterium, *qvi ſe duos oculos tantum habere crediderunt*, h. e. perfectiſſime intellectu præditos, *Europæos vero tantum unum oculum, cæteras nationes oculis prorſus carere*, ex ignorantia naturæ & Orbis terrarum apud ipſos profectum fuit, qvi nec tantas nationes alias ante ingreſſum Europæorum exiſtere ſciverant, & ipſam Chinam ſuam ampliſſimam Orbis partem eſſe ſibi perſvaſum habuerant, mox vero ſe fruſtra esſe ſenſerant, cum ad minora inventa Mathematica Europæorum obſtupeſcerent. Ac prima hæc & unica ratio fuit, qva Chinenſes noſtro tempore Chriſto adduci potuerunt, cum Patres Jeſuitæ, & in iis P. Matth. Riccius inventis ſuis Mathematicis animum Gubernatoris Cantonienſis ita occuparent, ut non ille tantum, ſed cæteri etiam, ad qvos fama inventorum horum dimanabat, nunqvam ſimilia à ſe, nec ab univerſa China viſa fuiſſe, teſtari fuerint, & Patres veluti homines cælitus demiſſos venerati ſint, ſublata ſimul lege Antiqviſſima Chinenſium, qva peregrini omnes regno Chinæ exire jubeantur. Erant verò qvæ tanqvam miracula tantum non adorabant Chinenſes, ex iis qvæ in Europa jam eviluerant, Horologium rotis ſuis affabre inſtructum, qvod præter curſum Solis & Lunæ, varia horarum diſcrimina demonſtrabat (2.) Priſma ſ. vitrum trigonum, qvod Chinenſes inæſtimabilis Gemmæ Speciem, nonnulli Cæleſtis Orbis portionem eſſe rebantur. (3.) Tabulæ Geographicæ totum terrarum Orbem exprimentes, qvas non minori cum ſtupore ac cætera Chinenſes aſpectabant, qvi antea ſibi perſvaſerant, extra Chinæ Imperium nihil amplius ſupereſſe, eoqve capere non poterant, Terrarum Orbem tot tantisqve potentibus regnorum ipſis incognitorum populis & gentibus inſtructum, tam amplum, circumfuſum Oceano, tanta inſularum hinc inde diſſeminatarum multitudine & varietate. Europam ad hæc ultimis Occidentis receſſibus, tot monarcharum Regnis ſplendidam, tantaqve terrarum Mariumve intercapedine diſſitam. Præterea Chinam in ultimo Orientis angulo ſitam mirabantur qvidem; Sed ægre ferebant Imperium ſuum, ultra qvod nihil ſupereſſe, imo in medio terræ veluti Gemmam in annulo conſtitutam ſibi imaginabantur, in extremam terrarum partem eſſe projectum: Qvorum diſplicentia motus P. Ric-

cius, ne conceptæ de ſe opinioni officeret, novam Orbis Terrarum delineationem, in duo diſtinctam hæmiſphæria ſub majori forma aggreſſus, ea uſus eſt probatione, ut Chinarum regnum, præcisè ſervata parallelorum Meridianorum habitudine & proportione, medium teneret. Singula deinde Regna Mundi, Provincias, Urbes, Montes, flumina &c. Chinenſi Charactere & Idiomate illuſtravit, qvod opus iterum tantopere Chinenſes rapuit, ut confluentes ad ſpectandum domus non caperet, unde tabula ſumptibus Proregis inciſa, & per univerſum Imperium, multiplicatis exemplaribus, diſtributa fuit; Obtinuitqve Riccius, ut omnes veluti Atlantem qvendam, & Aſtronomum Excellentiſſimum colerent. Sicqve facile fuit Religionis Chriſtianæ ſemina in China ſpargere, qvæ etiam tam large ſuccreverunt, ut non è populo tantum infiniti, ſed etiam Prorex, Regina, ejus filius, & ſupremus Aulæ Miniſter Chriſtiani redditi fuerint, qva de re vid. pl. *Trigault. de Chriſtian. Expedit. ad fines* paſſim. *Kirch. Chinæ Illuſtratæ L. I. c. IIX.* Novaqve paulo poſt religionem Chriſtianam confirmandi occaſio acceſſit, cum P. Adamo Schall Germano Juliacenſi emendatio Calendarii, qvod itidem Chinenſes imperfectiſſimum habebant, committeretur. Vid. eundem. *Krch. L. I. c. IX. p. 108. & ſeq.*

III.

Vidimus Chinenſium opinionem de ſe conceptam prorſus vanam eſſe; Jamqvè pro inſtituenda pleniori comparatione inter Europæos & Chinenſes annotamus (1.) Ea qvæ Chinenſes nunqvam habuere, ſed unice Europæis debent. (2.) Chinenſium ſingularia qvæ nunqvam apud Europæos fuere (3.) Qvæ Europæis & Chinenſibus communia ſunt. Primi generis eſt univerſa ſcientia Naturalis & Mathemathica, qvarum perfectio penes ſolos Europæos hactenus reqvievit. Sic *in Botanicis* non tantum Chinenſes, ſed extra Europam omnes ferè, ſi non ignari, certe minus exercitati, extiterunt. *In Anatomicis* vero nihil qvicqvam extra Europam cognitum fuit, qvanqvam in Europa impolitiores Nationes ejus uſum plane deteſtatæ ſunt, cujus ſingulare exemplum exhibet Olearius in Itinerario Perſico: Ruſſos nempe Chirurgum miſerrime excepiſſe, qvia Sceleton in ædibus habuerat. In *Scientia Mathematica, Optices & Geographicæ* prorſus ignaros fuiſſe Chinenſes, ea, qvæ paulo ante diximus, claro docuerunt. *Aſtronomiæ* ſummam imperfectionem

itidem

itidem docuit emendatio Calendarii ab Europæis in China ſuſcepta, in Mechanicis confectio Horologii antea laudati ſimile prodidit; Et ne longitudinem locorum recens ab Europæis detectam Horologii beneficio allegemus, res longe vilior in Orientæ ignota hactenus fuit, *uſus Molendinorum*, qva de cauſa & ſingulari ſummoqve privilegio donatus fuit Germanus qvidam Norimbergenſis, Andreas Heberlin qvi primu mMolendinum ante XX. circiter annos Bataviæ in Java Majori extruxit Vid. *Saar. Itin. CXVI.* In Nauticis, inventione Pyxidis Nauticæ ante adventum Europæorum caruiſſe certum eſt. Non ignoramus tamen Chinneſibus hanc inventionem ab aliqvibus tribui, qvibus volupe eſt inſolita conſvetis, & exotica Patriis præferre.

IV.

Inter Chinenſium ſingularia ſunt (1.) *Porcellanarum confectio*, qvæ tamen non ab ingeniis eorum dependet, ſed à naturali conſtitutione aëris, aqvarum & Solis: Qvam tamen in Italia etiam non ita pridem exercitam fuiſſe Ephemerides Anglorum docent. (2) *Vernicis*, qvam *Laccam* vocant *præparatio*, cujus cauſa vero iterum in natura gummatum ibi naſcentium ſita eſt, non in Ingenii Chinenſium felicitate. Et forſan poſteritas noſtra hæc imitari diſcet, qvando curioſum ſcrutatorem Europæum tractus illi olim excipient. (3.) Singulariſſimum eſt, meritoqve admirandum Characterum Chinenſium genus, Characteres enim, dum immediate res ipſas non voces deſignant, tribus Nationibus, Chinenſibus, Japanenſibus & Coreanis communes ſunt, ab omnibus etiam æqve intellecti dum interea ſi ſermones miſceant, vix verbum ſit, qvod alter ab altero intelligere poſſit. Uſus vero hujus Characteris ſi ad nos usqve dimanaret, tam amplus eſt, ut inpoſterum graviſſima moleſtia diſcendarum Lingvarum carere poſſemus. Satis namqve foret Charactere hoc Univerſali factam ſcripturam intueri, ſicqve Hiſpano eam Hiſpanice, Germano Germanice, aliisqve aliter eam licebit interpretari, omnesqve eam æqve intelligerent, licet ſermonis communione carerent. Atqve hæc res imitatione apud Europæos hactenus caruit, niſi qvam noviſſima Vir feliciſſimi ingenii *Dn. Andreas Mullerus* Præpoſitus Beloinenſis Orbi Erudito indicavit, cujus deſideriis etiam ne temporum injuriæ amplius obſtant, cum, doctis probisq; omnibus merito optamus.

V.

Inter communia Chinenſium cum Europæis inventa recenſemus (1.) *Typographiam* qvam Chinenſes non ab Europæis, nec tamen Europæi à Chinenſibus hauſere, ſed ab utraqve Natione inventa fuit, evidenti tamen diſcrimine, & tanto qvidem, ut Europæorum inventum Chinenſium artem multis modis antecellat; Chinenſes enim Scripta ſua non ſecus ac apud nos imagines libris imprimunt, & librum edituros tot tabulas ligneas habere oportet, qvot in libro folia ſunt, e qvibus primum incipiunt incidere, & deinde in prima tabula literis inciſa, tot imprimunt exemplaria, qvot exemplaribus opus habent, deinde procedunt ad ſecundam, & ſic porro; Atqve hoc pacto integras ſæpe domos Typographicis tabulis implent, & ideo valde differt à noſtra Typographica inventione, in qva non ſingulæ voces, qvod lingva Chinenſis poſtulat, ſuis inciduntur peculiaribus tabulis, ſed literæ, ut vulgo notum eſt, juxta Alphabeticam diſpoſitionem, ex receptaculis ſingulis literis correſpondentibus collectæ, in voces & periodos formantur, deinde impreſſo folio denuo diſſolutæ literæ ſingulis ſuis redduntur cellulis, qvæ res & minoris laboris eſt, & univerſale artis conbinatoriæ opus *Kirch. Chinæ Illuſtr. Part. cap. 1. p. 222.* Qvodqve magis commendat Typographiam noſtram, eſt aucta qvotidie ejus perfectio, cum apud Chinenſes nulla incrementa ſumat, univerſali hoc incommodo ingenia eorum premente, qvod inventis haut facile ſciant addere. (2.) Alterum eſt *Pulveris Pyrii Inventio*, qvam primum ante nos in China detectum fuiſſe negare non poſſumus, inqvit iterum *Kircher. l. a. c.* cum Patrum Soc. Jeſu teſtimonia in variis Imperii provinciis ingentis Magnitudinis tormenta potiſſimum Nanqvini ab immemorabili tempore fuſa eſſe memorent, & ſi ad eam perfectionem, ad qvam Europæi acceſſerunt & in admirandis pyrabolicæ artis operibus demonſtrant, nunqvam pertigerant. Cui addimus nec Europæos inventionem ſuam Chinenſibus debuiſſe, de qva conſtat eam à Bartholdo Schwartz Germ. Goslarienſi Monacho & Chymico A. MCCCLIV. inventam, & adverſus Latrones vicinos primum feliciter uſurpatam fuiſſe, *Kirch. Mund. Subt. L. XII. ſect. V. p. 4.* (3.) Tertium eſt *Ars Fuſoria*, qva certum eſt Chinenſes excellere, qvod tum ex ingentibus fuſorum operum, tum tormentorum molibus, qvæ paſſim in omnibus civitatibus occurrunt patet, *Kirch. l. a. c. Chin. Illuſt.*

Illuſt. P. V. unde & *Campanarum uſum* nobiſcum communem habent, qvem alias citerior Oriens, itidem ſuis interdixit, neqve in toto Imperio Turcico Campanam fere videre eſt, niſi exiguam qvandam in Eccleſia Maronitarum ad montem Libanum, qvam Turca illis ſingulari privilegio reliqvit. Docentqve ſcriptores rerum Chinenſium, tantas Pekini haberi Campanas, ut earum reſpectu totius Europæ maximæ pumiliones dici poſſint. Vide inſtitutam comparationem Campanæ Pekinenſis & Campanæ Erfurdienſis apud *Kirch. p. 222.* qva literis P. P. docet Campanam Pekinenſem eſſe pondere 120000 cum Erfordienſis tantum habeat 25400. Perfectionem tamen iterum majorem in hoc genere Europœis relinqvendam eſſe, facile teſtabitur ſvavis illa harmonia Campanorum in Belgio & Anglia imprimis uſitata, qva Chinenſes adhuc carent, vid. hac de re Kirch. in Muſurgia, & de univerſa natura Campanarum *Angel. Rocba ſingulari tractatu de Campanis.*

VI.

Vidimus Europæos alios populos Orbis Inventionibus antecellere: Eosdem Vitæ Rationalis ac Socialis partibus qvoqve omnibus prævalere, nunc porro probandum eſt. Ac primo qvidem diffiteri non poſſumus, elucere qvædam Virtutum veſtigia extra Europam, qvæ apud nos, vel plane deſunt, vel in obſcuro ſunt, commendatqve ſe eo nomine innocentia Americanorum, niſi ex ignorantia potius & ſumma imperfectione Gentis eam ortam velimus: Magis vero id ipſum elucet in θηϱιοφιλίᾳ apud Aſiaticos uſitatiſſima, qva in Bruta etiam nihil crudelius conſultū volunt. Cujus virtutis fundamentum in ipſis Sacris ſitum eſt, qvæ juſtum & jumentorum ſuorum miſericordia duci ſcribunt: Nam licet vi Dominii noſtri in Bruta ea in uſum noſtrum vertere poſſimus, eoq; nihil iniqvi patiantur, ſi commoda noſtra morte ſua promoveant, nihilominus ſi uſu careat, qvod Brutis inferimus, ſeu plagæ ſint, ſeu mors etiam parum benefactum videbitur, cum & Dominii noſtri limites excedat, & ferociam ingeniorum noſtrorum indicet. Monendum tamen eſt (1.) Notabiles apud ipſos Aſiaticos iſtam θηϱιοφιλίαν exceſſus comitari. Nam eſu carnis hodienum Brachmanes abſtinent, qvod metuant, ne Animæ humanæ per Metempſychoſin corpori Bruto alligatæ injuriam inferant: Et Turcæ captivas Aviculas magno numero redimere amant, gratiam Cæleſtem ita emendicaturi. (2.) Et in hac & in

aliis omnibus virtutibus Aſiaticos fundamento virtutum excercendarum carere, ignari qvippe qvid agant, aut cur agant; Et cum Europæi virtutes excolant ob rationes Aſiatici cæteriqve omnes easdem colunt ob fabulas. His enim univerſa Theologia Turcica & Gentilis ad huc ſuperſtes abundat.

VII.

In vita Sociali privata comparanda eſt Monogamia Europæorum cum Polygamia cæterarum gentium, qvam ideo minoris facimus, qvod in monogamia major puritas ſit, paucior proles qvoqve commodius vivat, qvam numeroſa. Vid. *Med. Pol. Diſſ. VII. § X.* At Oriens ei tenaciter ad hæret, qvod vel ſola Regum exempla indicant, qvorum magna pars inprimis ipſe potentiſſimus Imperator Chinenſis Chriſtianiſmum jam dudumamplexus eſſet niſi ſcirent Legibus Chiſtianiſmi Polygamiam prohiberi. (2.) Mancipia Europæi inter ſui ſimiles raro habent. Aſia, Africa, America eadem magno numero retinet. Serviliora itaqve iſtarum regionum Ingenia ſunt; Europæi vero liberius vivunt. Ac licetServitus perfecta qvaſi poſtliminio à Belgis. Hſpanis, Portugallis revocata ſit, non tamen à fratribus, ſed unicè ab exteris mancipia ſua petunt. Id ipſum (3.) magis claret in Rerumpubl. Libertate, qvas Europa omni tempore vidit & adhuc videt; Univerſa Aſia autem Africa etiam, ſi Carthaginem excipias, & America Libertatem hanc ignorant, Regibusqve ſe ſubjectos eſſe. h.e. ad ſerviendum aptiores teſtatæ ſunt. Qvod (4.) iterum confirmamus Deſpotico Imperandi genere, qvo Monarchæ extra Europam utuntur: Cum Monarchæ Europæi intra limites certos eam exerceant, non tantum Libertate ſubditorum, ſed ratione vitæ ſocialis id dictitante. Qvæ exteri Principes dum non reſpiciunt, ſeverius imperant ſerviliusqve ſuos tractant. (5.) Conſtantior vivendi apud Europæos ratio eſt, apud exteros magis erraticum vivendi genus: Id qvod in Tartarorum Hordis patet, qvi toties ſedem mutant, qvoties novam ruris aut nemoris commoditatem alicubi proſpiciunt. Eadem ratio Arabum, qvorum ſedes inconſtantiſſimæ. (6.) Europæi jure ſcripto utuntur illoqve ſingularibus aliqvam multis caſibus accommodato. Talia Jus civile Romanum, Jus Waldemarianum in Dania, Jus Svedium Codex Ludovicianus in Gallia, & ſimilia. His vero exteri carent. Tanto majori cum Damno Juſtitiæ, qvanto certius eſt pauciſſima à Judicibus, pleraqve à Legislatoribus definienda

eſſe,

eſſe, idqve ideo, qvod Legislatores ſine reſpectu temporum ac Perſonarum ſint, Judices vero in re præſenti verſentur, eoqve Affectibus citius indulgere poſſint, qva de qvæſtione Vid. Plur. *Vincent. Turturet. in Paralt. Eth. Jur. Differt. LIV.* Hinc vero nunc elicimus Juſtitiam apud Europæos rectius adminiſtrari, qvam apud alias Nationes. (7.) Apud Chinenſes antehac usqve ab immemorabili tempore Lex univerſalis fuit, ne peregrini ullo modo admitterentur. Hæc ibi abolita fuit, poſt publica Europæorum inventa Mathematica à P. P. Jeſuitis Eadem enim hodienum perſtat apud Coreanos, vicinam Chinenſibus Gentem, eſtqve apud hos ipſo jure captivus, qvi vel naufragii cauſa littora eorum cogitur accedere, cujus exempla vid in den Geſandſchafften an die Keiſer von Japan. Amſtel. 1669. In Mediterranea Africa eandem in uſu eſſe docet Comes Caſtlemainius Legatus Regis Angliæ in Relationibus ad Regem ſuum, Sed rationem ab Orientalibus diverſam reddit: Eſſe nimirum, cum apud Orientales mera ſcrupuloſitas ſit. apud hos in cauſa, qvod ipſos impolitiorum morum ſuorum ac rei Domeſticæ fœdiſſimè adminiſtrandæ pudeat, dum Europœos & moribus, & habitu corporis nitidiores eſſe vident, eoq; malle exteros omnes ditionibus ſuis abſtinere. Iſtæc vero omnia univerſa Europa etiam ratione impolitiorum partium ſuarum non habet, & ſicubi hoſpitatura noſtra illiberatior, nuſpiam tamen exteros prorſus exeſſe jubemus.

IIX.

Deniqve Barbaries addenda eſt, non illa tantum qvæ ſimpliciter defectum politiorum morum præ ſe fert, neqve rei humanæ conſulit, ſed Bono privato ſuo: Qva de re *V. Pol. Parall. Diſſ. II §.* Sed ſingularis iſta hominibusqve maxime indigna, qva carnibus humanis veſci, easdemqve in macellis venundari permittit. Qva Pars Africanorum & Americanorum hactenus ferocire ſolita fuit; Aſiatici in Inſulis de Andemaon, ſeu Andereman, Americani vero in Inſulis Caribanis aliisqve, ipſaqve antehac Peruvia. Ferociam hanc communiter Antropophagiam vocant, homines ipſos Antropophagos, & Europæi tantopere eam deteſtati fuere, ut non tantum inter delicta Moralia poſuerint, verum etiam inde jus ſibi natum crediderint, & Americam occupandi & Americanos ſibi ſubjugandi, qvippe rati tantum crimen non mitiori pœna qvæ vel incarceratione autorum vel perpetuis ſervitiis eorum familiæqve elui poſſe. Vid.

ex An-

ex Anglis *Illuſt. Verul. in Conſ. de Bello Sacro.* in Operibus ipſius *p. 1310.* Et inprimis inter Hiſpanicos autores *Joh. Geneſius Sepulveda de Jure Belli contra Indos in Oper. ejus p. 413. & ſeqq.* Nos interim putamus, Barbariem qvidem hac in re eſſe maximam, h. e. indecorum aut ſummæ inhumanitatis qvoddam genus, Barbaries enim in indecoro & in humanitate occupatur; Sed (1.) nec delictum Morale eſſe. (2.) Nec Anthropophagiam Europæis jus peperiſſe occupandi Americam, Prius prob. Qvia (1.) qvod delictum morale eſt, id nullo modo excuſabile eſt, veſci humana carne autem certis caſibus licitum eſt; Mumias enim, qvæ caro humana ſunt, in uſum medicum adhibebimus. (2.) Delicto morali aliis nocemus, jam vero carne cadaveris humani ſi veſcamur, id nec homini defuncto nocet, cujus cadaver ſine dubio vermibus in eſcam cedit, nec aliis. (3.) Ipſi moraliſtæ caſum extremæ neceſſitatis allegant docentqve ſi extrema fame premantur, nec aliud remedium levandæ ei ſuperſit, carne humanorum cadaverum nos libere veſci poſſe: Immo poſſe etiam in extremæ famis periculo ſocios aliqvem è medio ſui interficere & ejus carne famem ſedare, ſi certum ſit eos intra breve tempus hac neceſſitate ſublevatum iri: Nam ſi id incertum ſit, veluti neceſſitatem non tollunt, ſed ſuſpendunt, ita ob ſpem incertam aliqvem Jure ſuo privare injuria erit. Poſterius probamus, qvia Americani non minus conſtituerunt Reſp. ac Europæi: Utrobiqve ergo ſui juris fuere, & conſeqventer pares. Par vero in Parem non habet imperium, eoqve nec jus ob delictum qvodcunqve illud ſit puniendi, niſi eadem ratione, ſi Hiſpanus peccet eum à Gallo puniri poſſe & ſim. credamus: Id vero à nemine Europæorum agnitum fuit, ac proinde nec Europæis idem in Americanos licuit, adeo ut etiamſi delictum morale eſſet Anthropophagia, nihilominus Jus puniendi illos pro ſe non poſſint allegare. Vid. plur. hac de re *Hiſtor. Geograph. C. IX. Sect. IV. §. 7. & Med. Pol. Diſſ. XXIII. §. 17.*

CAPUT IV.

DE PRÆROGATIVA PERSONARUM ILLUSTRIUM.

I. PRivati haut commode poſſunt de perſonarum illuſtrium Controverſiis de Prærogativa diſputare.

II. Prærogativa Imperatoris & Imperii Romano-Germanici; Bartoli Sententia, Hæreticum eſſe, qvi Imperatorem pro Domino mundi haut habeat, explicata: Imperatorem eſſe communem arbitrum Rei Chriſtianæ: Eundem Chriſtianiſſimum dicendum.

III. Prærogativa Regis Galliæ.

IV. Prærogativa Regis Hiſpaniæ.

V. Prærogativa Regis Angliæ.

VI. Prærogativa Regis Svediæ.

VII. Prærogativa Electorum Imperii præ Cardinalibus: Eorundem præ Coronatis Rebuspublicis.

IIX. Prærogativæ Contentiones inter Principes Imperii, Item Civitates Imperiales.

I.

SEqvitur ut de Prærogativa Perſonarum illuſtrium agamus, atq; ut fundamentis ſupra laudatis utantur, videamus: Sed non aliter, qvam hactenus id uſu venit, & breviſſimè qvidem, ac non niſi per ſaturam. Cum (1.) jam extent prolixi ſingularum Gentium Scriptorum hac de re Commentarii. II. Non conveniat Inferioribus, de Superiorum controverſiis diſputare, niſi qvando id facere à Principe jubentur. III. Licet id conveniret, Inferiores tamen non poſſint, de iis judicare, qvia intimæ controverſantium rationes notitiam eorũ non veniunt. Et IV. Licet aliqvæ innoteſcant, non tamen niſi Juſtificæ ſunt, Svaſoriæ neutiqvam, qvæ verum fontem omnium Controverſiarum præbent: Videturqve inde factum eſſe, qvod pleriqve ſcriptores, qvi ex profeſſo hanc materiam, tractandam ſumunt, prolixe qvidem, imbecillius tamen in ea verſentur, qvia non tam de Jure loqvi poſſunt, qvam qvid circa jus factum ſit, qvod in infinitum ducit, non ad Scopum Controverſiæ.

II.

De Prærogativa Imperatoris & Imperii Romano Germanici videndi ſcriptores Jur. Publ. Petrus de Andlo *de Imperio Rom. L. II. c. IIX.* Et Freherus *in notis ad h. l.* Limn. *J. P. Lib. II. c. VII.* Reincking. *de Reg. Sec. & Eccl. Lib. I. Claſ. 2. cap. 7.* Sprengerus *J. P. L. I. c. V.* Hermes *Faſcic. c. IV.* Lancelottus Conradus

Temploomn. Jud. lib. I. c. I. Stephani *de Juriſdict.* L.II.c.I. & alii paſſim. Et ſane ipſum Germanorum Imperium eſt antiqviſſimum, qvod continuitas Indigenatus ſuperius probata nos dubitare non ſinit, & priſci Germaniæ Proceres ideo Cæſares & Auguſti vocari dedignabantur, qvod Familiæ ſuæ dedecus eſſe ducerent Regium Avorum ſtemma, qvod cœleſti origine & ex Diis genitum rebantur in Civium alius Reip. qvales Cæſar & Auguſtus erant, familiam tranſcribere *Goldaſt. Præf. in T. III. Conſt. Imp.* Idem dum ſimul Romanum eſſe cœpit, plerisqve Rebuspub. & Regnis in Europa non tantum antiqvius, ſed eorundem qvoqve fons eſt; Qvippe qvæ vel exierunt ex Imperio Romano, vel inde Dignitatem acceperunt. Imperatorem eſſe Dominum Orbis ait *Lex 9. ff. ad l. Rhod. de Jactu*, & aliæ. Et Hæreticus eſt, qvi hoc negat, *Bartolus in L. Hoſtes 24. ff. de Capt. & Poſtlim.* qvod paſſim ei exprobant. Sed Orbis nomen pro Politiori ejus Parte hic accipi, vel per Excellentiam Imperio attribui nemo negabit. V. *Grot. J. B. L. II. c. XXII. §. 13.* Minime omnium vero id Bartolo vitio verti poteſt, qvia qvod dixit, id opinatus eſt ſe dicere juxta mentem Eccleſiæ: Dixerat omnes Gentes, qvæ obediunt Eccleſiæ Romanæ, eſſe de Populo Romano; *Et forte*, addit, *ſi qvis diceret, Dominum Imperatorem non eſſe Dominum & Monarcham totius orbis, eſſet Hæreticus, qvia diceret contra determinationem Eccleſiæ &c.* Argumenti pondus non examinabimus, Bartolo tamen id non magis exprobrandum eſt, qvam aliæ Religionis Catholicæ ſpeciales hypotheſes. Si etiam adhuc diceremus communem Rei Chriſtianæ Arbitrum, non fruſtra erimus: Hinc n. derivandum ducimus, cur exteri Principes veniam ætatis ab eo petierint, qvod Chriſtiani IV. Regis Daniæ & Ludovici Regis Hungariæ exemplo notum eſt; Iidem Dignitatem Regiam ab eo ſuſceperint, qvod exemplo Regum Poloniæ, Bohemiæ & aliorum conſtat. præterea ab Imperio Romano aliæ Nationes jura ſua vel omnia vel ex parte acceperunt: Perfectius ergo eſt reliqvis, Imperfectum enim à Perfecto menſuram accipit. Antecedens prolixe demonſtratum ab *Arthuro Ducke lib. de uſu & Autorit. Jur. Civilis &c.* Qvod Imperator Romanorum Jure ſit Chriſtianiſſimus dicendus, ſingulari diſcurſu probat *Henricus Bebelius Tom. 1. Hiſtor. Op. Schardii f. 251. & Politic. Imper. Goldaſti Part. XI. f. 594.* & aſſerit id fieri exemplo Divi Ambroſii,

alio

aliorumve, qvi Imperatorem Chriſtianiſſimum vocaverint; Exemplo qvoqve Romanæ Eccleſiæ, qvæ in die Paraſceves pro Cæſare orans dicit: *Pro Chriſtianiſſimo Imperatore Rom.* Ita habere Libros ſacros tam recentes, qvam vetuſtos: Addit porro: Imperatorem eſſe *Advocatum Eccleſiæ*, h. ejus partes eſſe, omnes Eccleſiæ Chriſti ſtatus defendere, eosqve in Pace ac tranqvillitate conſervare, ac proinde jure proprio eſſe Chriſtianiſſimum: Deniqve ab eodem Imperio Romano factum, qvod autoritate ejus pleræqve Europæ politiores Partes ad Chriſtianiſmum perductæ fuerunt: Unde & primis IV. Conciliis Univerſalibus præfuere, qvod à Theologis pluribus probatum V. *Chamier. Panſtrat. Tom. Libr. III. cap. II.* Poſterioribus nonullis, ſi Univerſalia Concilia dici merentur, ſaltim præſederunt, qvæ res extra controverſiam eſt, nec ullo exemplo contrario immutata.

III.

Reges Galliæ Prærogativæ cauſa cum Rege Romanorum & Rege Hiſpaniæ contendunt, & Imperatorem habere qvidem Prærogativam præ aliis Regibus, ſed non præ Rege Galliæ noviter aſſeruit famoſus Prærogativæ Gallicæ aſſertor Auberius. *Tr. de Præcedentia Regis Galliæ, ſed in qvo Libro, ut contra Auguſtiſſimi Cæſaris Majeſtatem multa inanio profert, ita & adverſus Catholici Regis cognitam ſublimitatem ſummoqve ac peramplo jure poteſtatem ad ea, qvæ ab aliis objecta pluribus confutari, præter nova jurgia & convitia vix qvicqvam addit*, inqvit. Joh. Jac. Chifletius *Fin. Disqviſ. de Ampull. Rem.* jam A. MDCLI. editæ. Videndi de Controverſiis hiſce Anton. Qvetta, *Sereniſſ. Rex Romanorum & Chriſtianiſſimus Rex Francorum uter alterum præcedat apud Gold. Polit. Imp. P. XI. fol. 596. De l'excellence des Roys du Royaume de France, traitant de la Preſeance, Premier rang & Prærogatives des Roys de France par deſſus les autres & des cauſes d'icelles* Paris MDCX. cujus autor eſt Hieronymus Bignon. *Conference des Prerogatives d'Ancienneté & de Nobleſſe de la Monarchie Roys, Royaumes, & Maiſon Royale de France, avec toutes les autres Monarchies, Roys, Royaumes, & Maiſons Royales, qve ſont en l'eſtendre de noſtre Europe par* Claude de Rubis Lyon 1614. Item *Theodorus Gotbofredus, Nicol. Vignier, Joh. Ferbault, Carolus de Graſſaliis*, qvos citat *Cruſius lib. III. cap. III. & IV.*

Rationes allegant : Regem Galliæ ab antiqvis usqve temporibus inconventibus publicis Conciliis & Synodis prælatum fuiſſe, atqve jure hoc libere uſum usqve ad annum MDLIIX. Regnum Galliæ populoſiſſimum eſſe & integris viribus : Reges rebus præclare geſtis aliis Superiores eſſe : Eosdem primos inter Reges fuiſſe, qvi Regnum ſuum Chriſtianum reddiderint, indeqve nomen accepiſſe *Primogenitorum Eccleſiæ* ; Atqve eodem fine Clodoveum, Primum Regem Chriſtianum Sacrum oleum cœlitus accepiſſe: *Francis data munera Cœli*, Erat Inſcriptio Numorum tempore Coronationis Ludovici XIII. R. G. ſparſorum : Inde dono ſtrumas ſanandi excelluiſſe: Nullos præterea reges tot meritis in Eccleſiam conſpicuos fuiſſe qvam Reges Galliæ. Vid. *præc. c. II §. V.*

IV.

De Prærogativa Regis Hiſpaniæ ſcripſerunt Jacobus Valdeſius, *de Dignitate Regum Regnorumqve Hiſpaniæ, & honoratiori loco eis ſeu eorum Legatis à Conciliis à Romana Sede Jure debito, Granadæ 1602.* Camillus Borellus *De Regis Catholici Præſtantia, ejus Regalibus, Juribus & Prærogativis, Commentarii, Mediolani 1611. Excellentias de la Monarchia y Reyno de Eſpanna.* Cujus Autor eſt Gregorius Lopez Madera, Valliſoleti 1597. Rationes reddunt : Regnum Hiſpaniæ eſſe caput Europæ *Valdeſ. c. IV.* Idem Antiqvius, Origine, Sede, fundatione Regumqve Imperio eſſe. *Vald. c. V.* Idem primum fuiſſe in fide Catholica recipienda & profitenda, in eo primam Eccleſiam conditam, primum Concilium celebratum, primum Pontificem ex ea natione electum, primum Imperatorem creatum, primam Epiſtolam à Pontifice miſſam, primum Legatum & Nuntium Apoſtolicum, primum Sanctum, cui Eccleſiam dedit Roma, Primum qvi ex eo ad fidem reduxit Imperatores. *Valdes. c. VI. & ſeq.* Ampliora ac potiora Eccleſiæ Romanæ deferre obſeqvia qvam alii *Vald. c. IX.* Regem Hiſpaniæ Potentia & Magnitudine alios ſuperare. *Valdeſ. c. XII.* Cognomen Catholici ferre. *Vald. c. XIII.* Habere Liberum & AbſolutumDominium. *Val. c.* XVIII. Eidem Antelationem deberi ex titulo & Jure Regni Hieroſolymitani. Vald. c. XVII.

V.

Prærogativam Regis Angliæ ſingulariter vindicatum ivit *Jacobus Howel,* Diſſertatione de Præcedentia Regum Galliæ, Hiſpaniæ &

Angliæ. Et poſt eum *Eduardus Chamberlaine* Notitia Angliæ *Part. I.* c.IV. Et in ſpecie rationes Prærogativæ Legatorum Reginæ Eliſabethæ, præ Legatis Regis Hiſpaniæ in Tractatu Bolonienſi breviter aſſertam Vide in *Continuat. Annalium Camdeni ad A.1600.* Summa itidem redit ad Antiqvitatem Regni & primitias Chriſtianiſmi; Luccius enim Britannorum Rex jam ſeculo ſecundo legitur Chriſtianam Religionem amplexus fuiſſe, qvo nomine & Chamberlanius autumat, Angliæ Regi inprimis Titulum Primogeniti Eccleſiæ competere. Sed fortean horum animus fuit, oſtendere non majus Jus eſſe aliis atq; aliis prætendere Præcedentiam, ſed omnes ad jus commune invicem relatos inter ſe æqvales eſſe: Qvæ verba ſunt & Judiciũ *Autoris Ephemerid. Erud. Galliæ T. I. p* 4.

VI.

Regum Svediæ Prærogativam ſingulari Oratione in Concilio Baſilienſi probavit *Nicolaus Ravallus* Archi Epiſcopus Upſalenſis & iisdem rationibus, ab Antiqvitate Regni, Antiqvo Chriſtianæ Religionis cultu, amplitudine & Potentia petitis, qvas etiam in Epulo Norinbergenſi contra Legatos Gallicos urſerunt, cauſati majorem Gentis, Nominis & Regni Gothorum antiqvitatem, pluralitatem Coronarum, multiplicem Majeſtatem, *Chiflet. de Amp. Rem.* c. XVII. & XIIX. De Sereniſſimis Regibus Daniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Portugalliæ, Poloniæ pauca ſingularia, nec magnopere à prioribus diverſa dici poſſunt. Reges Orientales raro legimus ejusmodi controverſiis detineri, cujus cauſa procul dubio, qvia communi vinculo Humanitatis minus ligantur, unde rarius conveniunt, & conſeqventer rarum qvoqve ejusmodi eminentiæ jurium inter ipſos examen eſt. At Europæi Principes noſtri, qvia melius agnoſcunt, qvid rei humanæ interſit, crebriori communicatione ſe egere ſciunt, ideo jura ſua ſæpius revolvunt & minimum tactum eorum ſentiunt. Qvem ſenſum ſi etiam in Sereniſſimorum Principum Imperii Conventibus videamus, animorum qvidem ab arctiori conjunctione & confidentia longiorem diſtractionem inde naſci, nihil tamen ab Intellectu ſeu animo jurium ſuorum certo alienum in iis videbimus. Confer. *Böcler. Notic. S. R.* I. *L. V. c. II.*

VII.

Ad Sereniſſimos Electores Imperii pertinet primo Prærogativæ controverſia cum Cardinalibus, qvam V. Diatribis ſingulariter expoſuit *Joh. Freinsbemius de S. R. J. Electorum & S. R. E. Cardinalium Præcedentia.* Urget illis, Sereniſſios Principes

hoſce æqviparari Regibus, ſæpè etiam eosdem præcedere; Regem Bohemiæ enim Electoribus Eccleſiaſticis cedere; Et ſummum ipſos locum obtinuiſſe multis exemplis demonſtrat. Ait qvidem Autor Ephemeridum Galliæ, ex iis, qvæ de Cardinalibus dicat facile perſpici, ipſum certæ addictum eſſe parti: Valde enim deprimere ea, qvæ Cardinalibus poſſunt eſſe opportuna, & ſatis ſuperqve extollere omne, qvod ad Purpuræ ipſorum Splendorem imminuendum falſo ſit ſuppoſitum: Collegiſſe etiam omnia, qvæ *de Dominis* contra Curiam Romanam pariter & Cardinales in Libro ſuo *de Repub. Chriſtiana* dixit, ut & omne id, qvod Lutherani Germaniæ contra Principes illos Eccleſiæ emiſerunt in publicum. *Ephem. Erudit. XVII. A. M. DCLXVI. p. 309.* Sed ſi etiam collegerit ex ejusmodi Scriptoribus, non eo minus verum erit; Nam ne nunc qvidem vel aliis ita vocatis Lutheranis, vel *Marci Antonii de Dominis* Libris recte reſponſum eſt, & ſi qvid eorum eſt, id remittimus ad *Danielis Lobeti Soricem oras chartarum de Repub. Eccleſ. rodentem, ſed captum & conſciſſum*, qvo ille Archi Epiſcopum de Dominis à *Leonhardo Mario* Theologo Colonienſi defendit; Neqve etiam ſi in partem alteram inclinemus, affectibus eò rapi opus eſt; Pondus partis enim, dum intellectus videt, qvidni eodem inclina Cum & Rebuspub. Coronatis deinde etiam aliqvid controverſiæ extitit, ſed huic Capitulatione Leopoldina Art. V. jam obviam itum fuit. *Poſtqvam etiam ab aliqvo tempore contigit, qvod exterorum potentium Principum ac Rerumpub. Legati, & qvidem ſub hoc prætextu, ac ſi dictæ Reſpub. pro Coronatis capitibus, & ſic Regibus æqvales cenſeri debeant, apud Cæſarem & Regias Aulas atqve Capellas Præcedentiam ante Legatos Electorum prætendant, hoc inpoſterum nullatenus permittemus. Si vero accidat, qvod legitime titulatorum & coronatorum regentium externorum Regum, ac Regiarum Viduarum ſeu pupillorum (qvibus Regimen, qvam primum convenientem adepti fuerint ætatem, competit, ac interea tutelæ & curatelæ ſubſunt: Legati ſimul adeſſent, & tunc Electoralibus, Legatis præcedent, illos autem Electorales Legati, ante omnium aliarum Rerumpub. Legatos, nec non ante Principes perſonaliter præſentes, ſine diſcrimine, immediate ſubſeqventur, qvicqvid etiam antehac per decreta & ſignanter A. MDCXXXVI. vel alias actum*

aut ordinatum fuit impoſterum abrogatum & in validum eſto. Et mox ; *Etiam in reliqvo providebimus, ut Electoribus ab Antiqvo continuata, & alias competens dinitas ac Prærogativa conſervetur, nec è contra per qvoscunqve exterorum Regum ac Rerumpub. Legatos apud noſtram Cæſaream & Regiam aulam, vel ubicunqve alias contingere poſſet nil præjudiciale aut novi qvid attentetur aut permittatur.* Conf. *Capitula Ferdin. III. Art. IV. & Ferdinandi IV. Art. IV.*

IIX.

Inter Sereniſſimos Principes Imperii noſtri de Prærogativa contendunt Archidux Auſtriæ & Archi Epiſcopus Salisburgenſis, qvemadmodum adhuc hodiernis Comitiis A. MDCLXIII. d. 23. Jan. à Salisburgenſi Proteſtatio contra auſtria corum Præcedentiam & Prærogativam interpoſita fuit. Deinde Magiſter Ordinis Teutonici & Epiſcopus Bambergenſis. Lis Epiſcopi Herbipolitani & Wormatienſis in Alternativam deſiit ; Epiſcopi Eichſtetenſis & Spirenſis Decreto Cæſareo contra Spirenſem finita eſt: Rurſus Brixienſis & Baſileenſis alternant. Contendunt adhuc Abbates Fuldenſis, Campidunenſis, Elvangenſis & Marbacenſis, & cum poſterioribus iterum Magiſter Ordinis Johannitici : Rurſus Abbas Weiſſenburgenſis & Brinnenſis ; It. Stablovienſis & Corvienſis. Inter Seculares Palatini proteſtantur ratione Præcedentiæ contra Bavarum, Saxones contra Palatinos & Bavaros; Vinarienſes contra Altenburgicos ; Brandeburgenſes contra Saxonicos & Palatinos ; Badenſes Mechlenburgicos, Holſati contra Saxonem Lauenburgicum : Ambergius prætendit Prærogativam contra Mompolgardium : Salmenſis contra Lobkovvitz & Eggenbergium. Naſſovii contra ambos alioſve recentiores Principes ex Antiqvitate familiæ, & è Naſſoviis iterum contendunt Dillenbergius & Hadamaricus. inter Civitates Imperiales contendunt Colonia & Aqvisgranum Lubeca & Wormatia, Noriberga & Francofurtum, Brema & Nothuſium. Vid. *Limneus J. P. T. IV. L. IV. cap. IX.* Et poſt eum *Sprengerus Luc. Imp. c. I. p. 20. & ſeq.* Exterorum controverſiis cognoſcendis minus opus eſſe remur, ob cauſas intio hujus capitis allegatas, neq; animus etiam nobis eſt volumen horum talium, ſed tantum Diſſertationem ſcribere.

CAP.

CAPUT V.

DE
REMEDIIS LITIUM.
DE PRÆROGATIVA.

I. GEneralia de Remediis hujus Generis Litium.
II. Declaratio Regis Hiſpaniæ ad Regem Galliæ miſſa.
III. Specimina Adæqvationis contedentium; Tabula Rotunda; Gallorum contra Æqvalitatem proteſtatio.
IV. Alternativa.
V. Promiſcua collocatio Partium.
VI. In Regnis Uni Regi ſubditis, à ſe invicem tamen non dependentibus, Regnum iſtud Præferri, cujus jure Edicta emttuntur.

I.

FIniuntur omnes lites, aut ſententia judicis, aut ſi Judex deſit, Bello, h.e. actu violento ſeu ſtatu hominum per vim certantium, aut Amica compoſitione, ut pars una proſeqvendo jure ſuo ultro cedat. Si finiri non poſſunt, remediis proviſionalibus ſaltem ſuſpenduntur. De ſententia Judicis jam Cap. I. dictum, & inde difficultas terminandarum harum contentionum eruta. Exempla ibidem allegata & theſi proxime antecedenti Capitis IV. adhuc Decretum Cæſareum pro Epiſcopo Eichſtetenſi contra Spirenſem laudatum. Actus per vim certantium etiam videre fuit, qvale de Abbate Fuldenſi itidem ſupra allegavimus, & ſimilia fuerunt inter Genuenſes & Senenſes, in Inauguratione Caroli V. inter Venetos & Genuenſes, & ante paucos annos Londini inter Legatos Gallicos & Hiſpanicos. Sed actus hi licet præſentem effectum ſuſpendunt, rem ipſam tamen non tollunt, ſed nova acerbitate augent.

II.

Amicæ compoſitioni an usqvam ſatis loci datum ſit, in medio relinqvimus. Referenda huc tamen erit Declaratio Regis Hiſpaniæ

Phi-

Philippi IV. qva Regem Galliæ per Fuentum Legatum A MDCLXII. placavit, poſtqvam anno præcedenti Londini inter Eſtradam Galliæ & Batavilleum Hiſpaniæ Legatum de Ordine ſervando in rhedarum proceſſu contentio oborta, & Gallus vim paſſus eſſet: Dixit tunc Fuentus Regem ſuum in indicium inflictæ pœnæ Batavilleum revocaſſe, cæteris autem miniſtris ſuis apud exteros Principes agentibus injunxiſſe, ut ſicubi occaſio contentionis de Prærogativa inter utriusqve Legatos naſci videatur, omni congreſſu publico cum Legatis Gallicis abſtineant. Das Er an alle ſeine Ambaſſadeurs und Bediente ſowol in England/ als an allen andern Höfen und Orten/ wo beſage ſeine Bediente reſidiren werden/ Befehl abgehen laſſen/ welcher Orten ſich dergleichen Schwürigkeiten des Vorzugs halben ereignen könten/ ſie ſich daran enthalten und bey einigen Handlungen und offentlichen Ceremonien/ den die Ambaſſadeurs und Bediente E. Maj. beywohnen würden/ ſich mit einfinden ſollen. *V. Diar. Europ. Contin. VII. pagina 252.* Sic Philippus, Regiæ dignitatis, immemor, induit genitorem, non inglorium putans illi cedere, cui viſcera ceſſiſſet, & juvenili ambitioni non incidit Senex & Socer, inqvit *Priol. de Reb. Gall. L. XII. caput III.* Qvæ qvo ſenſu accipienda aut qvos effectus hactenus ſortita fuerint, noſtrum non eſt diſputare. Poſtrema certe Germanici Interpretis ſenſu vel nullo vel contrario a propoſitione Legati veniunt, cujus verba fuerunt: *Qve ſe abſtengan, y no concurrum en los Embaxadoros y Miniſtros de V. Mageſtad en todus las funciones y ceremonias publicas a las qvales los Embaxadores y miniſtros de V. Mageſtad asſiſtieren.*

III.

Inter Remedia Proviſionalia eſt æqvalis contendentium collocatio. Sic Orbiculari menſa eos ſæpe collocant, qvia nullum alteri ita prælatum qveri poſſe autumant, eſtqve vetus hujus rei exemplum Arturi priſci Britanniæ Regis, qvi *Eqvites Tabulæ Rotundæ* inſtituit omnes rei militaris ſcientia gloriæqve magnitudine pares. Itaqve *cum omnes ſimul accumberent, ne qvis forte*

ſe primo in loco conſtitutumillorioſe prædicaret, aut ad infimum locum deturbatum invide cogitaret, Menſam Rotundam ad Coronæ formam effingendam curavit. Menen *Delic. Eqveſtr. pag.* 129. Aliud exemplum talis æqvalitatis eſt, ut contendentes diverſis qvidem, æqve honoratis tamen locis collocentur & eodem tempore eodemqve modo ambo honorent. Sic in competitione inter Legatos Gallicos & Hiſpanum tempore Concilii Tridentini Pius IV. P. M juſſit duo thuribula adhiberi, *ad Gallos & Hiſpanum ſimul eodem momento temporis ſuffumigandos, itidemqve duas tabellas (Pacis nomine indigitant) his & illis eodem articulo temporis ad deoſculandas præberi.* Sed Gallis tamen tunc temporis ſatisfactum non erat, aperte dicentibus, *ſe jus ſuum conſervatum velle, qvod non in* parilitate, *ſed in* Præcedentia *conſiſteret, & ſiqvid innovaretur, Proteſtatione facta ſe diſceſſuros à Concilio*: Unde prorſus ritibus hiſce abſtinendum fuit *Miſſaqve ſine Fumificatione & Pace proceſſit.* Petr. Svav. *Hiſtor. Conc. Trid. L. IIX.* Eodem referendum remedium, qvo tempore Pacificationis Pyreneæ uſi ſunt; Galli enim & Hiſpani in Inſula Phaſianorum *ædes extruxerant dividuas, ut vitato de primatu diſſidio, Miniſtri duo convenirent, unoqvoqve ſtationem ſuam inſidente. Sic Mazarinus & Haroius nulla loci Prærogativa hinc & illinc Abaco diſcriminante ſe mutuo ſalutarunt.* Priol. de Reb. Gall. L. X. caput XXII.

IV.

Eodem referenda qvoqve *Alternativa*, Remedium in Imperio noſtro inprimis uſitatum, qvo & pleroſqve Principes uti acta Publica docent. vid. *Theſ. ult. præced. Cap. IV.* In Gallia inter Proceres eandem vigere tradit Johann. Tilletus Protonotarius Regni Gallici in *Tract. du rang des Grands de France cap. des Princes du ſang. de France fol.* 316. vid. *plur. Cruſ. de Præced. L. I. c. VII.*

V.

Confuſioni qvoqve aliqvando locus datus fuit h. ut promiſcue-

ſcue ponantur, nulla habita ratione Ordinis, idqve itidem, ne cui commodum vel præjudicium inde accedere poſſit. Sic in fœdere inter Anglos & Hiſpanos An. MDCIV. Art. XXXI. enumeratio illorum, qvi comprehendebatur, ex parte Regis Angliæ talis eſt, ut poſt Imperatorem & Liberas Civitates Duces Lotharingiæ, Sabbaudiæ, Brunſvicenſes & Luneburgenſes, Mechlenburgici & alii nonnulli Principes & Status Imperii, tunc Reges Galliæ, Poloniæ, Svediæ, Daniæ nominentur cum Duce ac Repub. Venetorum, Duce Holſatiæ ac Magno Duce Florentiæ. Et Art. XXXII. ſimilis ratio obſervatur in iis, qvi includuntur à parte Regis Hiſpaniæ.

VI.

Ultimo addendum, in Regnis uni Regi ſubditis, talibus tamen qvorum neutrum ab altero dependet, communiter Regnum iſtud primo collocari, cujus jure Edictum Regium, vel aliud Inſtrumentum publicum conditur. Sic Henricus VI. Rex Anglia in Diplomatibus ſuis ſe ſcripſit *Roy de France & d' Anglettere*, & hodienum Rex Angliæ in literis ſub Sigillo Scotiæ editis ſe ſcribit *Regem Scotiæ, Angliæ &c.* æqve ac in Anglia *Regem Angliæ, Scotiæ &c.* Et Philippus II. Hiſpaniæ Rex, qvi vi Conjugii cum Maria Regina etiam Rex Angliæ erat, in Titulis ſuis primo Caſtiliam collocabat, & poſt alia qvædam Regna ſua Angliam & Galliam inter Arragoniam & Navarram hoc modo; *Philippe par la gratia de Dios Rey de Caſtella, de Leon, de Arragan, Inglatierra, de Francia, de Navarra de Neapoles, de Sicilen, &c.* Qvæ inſcriptio occurrit Iu literis ipſius datis d. XVI. Dec. A. M. DLV. qvibus confirmat Cathechiſmum ſeu ſummam Chriſtianæ Religionis Latinè Germanicè, Gallicè & Hiſpanicè, Antwerpiæ Anno ſeqventi editum *par mandamento y autorid ad d' il Sereniſſimo Rey d' Eſpanna, d' Inglatierra, Francia y Napoles*, prout titulus indicat. Sed in Edictis Anglicanis ideoqve inſcriptione cum Regina Mariarum Anglia primi loco poſita & Hibernia

tamen